6
12 M
34

R.

~~6.12.6.40~~

BARTHOLOMAEI FACII

DE VIRIS ILLUSTRIBUS

L I B E R

NUNC PRIMUM EX MS. COD. IN LUCEM ERUTUS.

RECENSUIT, PRAEFATIONEM, VITAMQUE AUCTORIS

A D D I D I T

LAURENTIUS MEHUS

ETRUSCAE ACADEMIAE CORTONENSIS SOCIUS,

QUI NONNULLAS FACII, ALIORUMQUE

AD IPSUM EPISTOLAS ADJECIT.



FLORENTIAE. ANNO MDCCXLV.


Ex Typographio Joannis Pauli Giovannelli.

PRAESIDIBUS ADPROBANTIBUS.

Proſtant apud CAJETANUM TANZINI Bibliopolam Florentinum.

Digitized by Google

6. 12. M. 34



NOBILISSIMO, ATQUE AMPLISSIMO DOMINO

C A R O L O

S. R. I. LIBERO BARONI DE FIRMIAN

CELEBERRIMAE ETRUSCORUM ACADEMIAE

CORTONENSIS SOCIO,

PROPTER EXIMIUM IN LITTERAS AMOREM,

AC BONARUM DISCIPLINARUM CULTUM

MEMORIA DIGNISSIMO,

QUEM FELICI, AC MAGNA ILLA INDOLE

AD GRANDIA QUAEQUE ADSURGENTEM

IPSAE

Digitized by Google

IPSAE MUSAE PRONO FAVORE AMPLEXAE
AD AUGENDAM PROPRIA VIRTUTE A MAJORIBUS
ACCEPTAM GLORIAM,
AD TUTELAM LIBERALIUM STUDIORUM,
AD DECUS PATRIAE, AC SUI NOMINIS AETERNAM FAMAM
EDUCARUNT:

HUNC LIBRUM BARTHOLOMAEI FACII
DE VIRIS ILLUSTRIBUS

EX OBLIVIONE, ATQUE INTERITU NUNC PRIMUM
RECEPTUM, VINDICATUMQUE
BONARUM ARTIUM PATRONO COMMENDAT, ET
CONSECRAT
AETERNUS FIRMIANAE VIRTUTIS, AC MUNIFICENTIAE
FUTURUS TESTIS, AC CULTOR HUMILLIMUS

CAJETANUS TANZINI BIBL. FLORENTINUS.

Digitized by Google

CANDIDO LECTORI

LAURENTIUS MEHUS

S. P. D.

POſtquam *humaniores litterae ex interitu, atque oblivione praeſtantiſſimorum hominum operâ, & labore ereptae, vindicataeque meliorem, nitidioremque cultum prae ſe ferre coeperunt, non defuerunt eruditiſſimi homines, qui litterariae hiſtoriae jam tum jacenti, ac prope intermortuae opis aliquid afferre conarentur. Inter hos principem ſibi locum jure ſuo vendicat Gulielmus Paſtrengus Veronenſis Franciſci Petrarchae auctor ſynchronus, quem Paſtregicum aliqui perperam appellant, qui ſaeculo decimoquarto libellum elucubravit* de Originibus rerum *inſcriptum, & a Michaele Angelo Blondo in lucem editum, in quo* de fundato-

Digitized by Google

datoribus r um, de inventoribus rei, *& potiſſimum* de ſcriptur *ut legitur*, virorum illuſt n *tractat. Saeculo vero d* oquinto *in hiſtoria litter* *contexenda ceteris antece* . *Bartholomaeus Facius* *lienſis, qui libellum de Viris Illuſt* *elaboravit, & quamvis Benedicti Accolti, Paulique Cortesii Commentaria de hominibus doctis breviter, jejuneque agentis lucem aſpexerint, nullus adhuc inventus erat, qui dextram Facio porrigeret, ejusque fetum in lucem produceret. Deliteſcebat itaque utiliſſimus hic liber in tenebris ſordidus inglorio pulvere, tineisque, ac blattis quotidie obluctans, neque adhuc in dias luminis oras proditurus eſſet, niſi Nobiliſſimi, atque Excellentiſſimi Viri auctoritas, qua eſt humanitate, atque in litteras, liberaleſque diſciplinas amore, huic fetui prope ſepulto opitulata eſſet. Gratiae itaque babendae Viro ampliſſimo, qui iniquam hujus libelli ſortem miſeratus praeſtantiſſimo ſuo patrocinio eum tutari haud dedignatus eſt, ut publicae luci traditus ſaeculi decimiquinti hiſtoriam, quae quidem ad litteras ſpectat, magis, atque magis illuſtrare, atque locupletare poſſet.*

In hoc vero opuſculo, quod nunc primum in lucem produco, id tantum ſibi negotii dedit clariſſimus auctor, ut excellentes illos viros recenſeret, qui aetate, memoriaque ſua claruiſſent, quod ipſemet hiſce verbis pag. 1. inn. Ex multis autem, quae mihi occurrebant digna, q posteritati mandarentur, illud prae ceteris jucundu fore exiſtimavi, ſi de Illuſtribus Viris aetatis, memoriaeque noſtrae ſcriberem. *Et paulo infra pag.* 2. Meum vero inſtitutum fuit de cujuſque facultatis, atque ordinis viris claris memorare, qui tempeſtate mea claruerunt. *Hoc itaque temporis ſpatio, quaſi limitibus quibuſdam laborem ſuum circumſcripſit. Facius, qui non ſolum illos ſibi propoſuit recenſendos homines, qui litterarum gloria floruerunt, ſed cujuſque facultatis, atque ordi-*

ordinis viros claros commemorare inſtituit. Ut autem perſpicua quadam methodo procederet hic libellus, praeſtantes in unoquoque genere homines in quaſdam claſſes diſtribuit, quarum prima Poetas recenſet, altera Oratores continet, tertia Juriſ-conſultos complectitur, quarta Medicos comprehendit, quinta Pictores commemorat, ſexta de Sculptoribus tractat, ſeptima de Privatis quibuſdam Civibus agit, octava de Copiarum Ducibus loquitur, nona de Regibus, ac Principibus ediſſerit. Animadvertit ipſemet Auctor in hiſce claſſibus diſtribuendis aliquantulum peccaſſe. Nam pag. 43., *tum quum de Pictoribus tractare incipit, haec habet:* Nunc ad pictores veniamus, quamquam fortaſſe convenientius fuit, ut poſt poetas pictores locarentur. Eſt enim, ut ſcis, inter pictores, ac poetas magna quaedam affinitas. *Et pag.* 52. *de quibuſdam civibus privatis verba facturus:* Conſentaneum, *inquit*, videbatur, ut poſt Medicorum mentionem de paucis quibusdam privatis civibus, qui duce virtute, comite fortuna ad ampliſſimam dignitatem evecti ſunt, verba faceremus. *Immo nec temporum ordinem in unaquaque claſſe digerenda ſervavit Facius. Nam in ea, qua Oratores recenſuit, Guinifortum Barziſium Gaſparino Bergomenſi praepoſuit, filium ſcilicet patri, ita ut Oratoribus finem imponat Gaſparinus, qui utpote major natu omnibus praeponendus erat. Sed haec, & alia multa, quae hujus opuſculi methodo objici poſſent, praevidit, refellitque ejus libelli auctor, qui haec praefatus eſt:* Ego tamen (*inquit pag.* 2.) neque dignitatem, neque excellentiam hominum in ſuo genere in iis commemorandis obſervabo, ſed ut quiſque mihi prior occurrerit, ita a me litteris mandabitur. Unum illud curae fuerit, ut de ſingulis quibuſque ordinibus, ac generibus ſeorſim ſcribam. *At dicet fortaſſe aliquis, hoc opuſculum mancum eſſe; quum nonnullos praeſtantiſſimos homines omittat, quorum memoria*

poſteris tradenda erat. Is tamen perpendat, quae pag. 2. opponat eruditus Auctor. Ait enim: Quod ſi fortaſſe quempiam per oblivionem, vel per inſcientiam omiſero, ne ſit quaeſo, qui mihi ſuccenſeat. Poſt enim, ubi commeminero, vel admonitus fuero, in alterum librum conferetur. *Quamobrem dicendum eſt, hoc opuſculum* de Viris Illuſtribus *in duos libros a Barthólomaeo Facio diſtributum fuiſſe, quorum primus ab eo confectus nunc prodit, alter vero, in quo claros homines, quos in priore omiſerat, recenſeret, caſu neſcio quo nuſpiam ab eo elucubratus eſt.*

Declarato operis inſtituto, Auctoriſque conſilio, animadverſiſque nonnullis maculis, quae laudes hujus opuſculi bona fruge referti, eleganterque ſcripti deterere poſſent, operae pretium eſt, ut tempus inquiramus, quo a Facio elaboratum fuit. Maxima, atque meridiana luce clariora ſunt indicia, quae Caliſti III. Pontificatum nobis innuunt. Scribit enim Facius pag. 1. Quum ab hiſtoriae componendae diuturnis laboribus aliquando requieſcerem abſolutis libris decem Alphonſi Regis, nec poſſem pro ingenio meo nihil agere, ne deſidiae reprehenſionem incurrerem, aliquid hoc tempore ſcribere inſtitui, quod & faſtidium levaret, & noſtri ſaeculi hominibus probari poſſe videretur &c. *Libros decem de geſtis Alphonſi Regis abſolvit Facius anno* 1455., *ut conſtat ex epiſtola XIII., quam pag.* 102. *edidi. Ea ſcripta eſt a Bartholomaeo Facio ad Poggium Florentinum* Ex Neapoli die XIIII. Aprilis 1455., *in eaque legitur pag.* 104. Quod autem ſcire expetis de rebus meis, ſcito decimum librum rerum a Rege geſtarum mihi nunc in manu eſſe, qui liber omnia continebit, quae uſque in hanc diem ab eo facta, vel per Duces ſuos adminiſtrata ſunt, qui decimus liber huic operi modum imponit. *Ex his colligi poteſt anno* 1455. *elabente idest Caliſto*

Ter-

Tertio Pontifice hoc opuſculum à Facio incoeptum fuiſſe. In eadem, quam diximus, epiſtola a Bartholomaeo ad Poggium data die XIV. Aprilis 1455 *ſcribitur, novum Pontificem paratiſſimo animo in bellum contra Turcas eſſe.* Ego quidem, *ait Facius pag.* 104., Regem omnia facturum puto, quae poſſit adverſus hunc Chriſtiani generis pernicioſiſſimum hoſtem, & proſpere ceſſura omnia, ſi ceteri Principes, ac Reges Chriſtiani in id conſentiant potiſſimum nunc, quum Pontifex novus paratiſſimo animo in id bellum eſſe perhibeatur &c. *Nullus dubitandi locus eſt, quin* novus *ille* Pontifex *ſit Caliſtus Tertius, qui ſexto idus Aprilis, ut teſtatur Platina, ejuſdem anni* 1455. *ad Summum Apoſtolatus apicem evectus eſt*, atque in aedibus S. Petri Pontifex creatus Caliſti nomen de more ſuſcipiens Turcis bellum ſtatim indixit. *Alia quoque animadverti poſſunt, quae hunc librum ad Caliſti Tertii Pontificatum referunt. Nam in ea claſſe, in qua de Copiarum Ducibus tractat, quum pag.* 64. *de Joanne Hunnacio Blanco loqueretur, haec habet.* Quotieſcumque ipſe exercitus Dux fuit, proſpere rem geſſit, & nunc, dum haec proderem, Maometeum Ottomannum ab Albae Graecae, quam vulgo Belgradum vocant, obſidione depulit, multiſque militibus hoſtium caeſis fudit, ac fugavit ejusdem claſſe apud Danubium profligata, atque exuſta, tormentiſque omnibus ereptis. *Hanc vero victoriam ſub Caliſto Tertio Pontifice retulit Joannes, ut teſtatur Platina, qui poſtquam indicaſſet indictas quam maximas ſupplicationes, ut exitium illud, quod a rubeo, crinitoque cometa portendi ſibi fingebant inepti homines, averteret Deus, haec addit:* Crediderim tum ego precibus omnium Chriſtianos ad Bellogradum contra Turcos dimicantes duce Joanne Vajovoda viro clariſſimo, aſtante etiam Joanne Capiſtrano Ordinis Minorum, Crucemque pro vexillo hoſtibus inferente eos Bellogra-

dum oppugr ntes ingenti clade ſupera[illegible]. Ad ſex enim hominum millia ex hoſtibus interfect ſunt cum parva noſtrorum manu, ut Carvagialla Sancti Angeli Cardinalis ad Pontificem, & ad Dominicum Capranicum Sanctae Crucis Cardinalem ſcripſit. Hoſtium quoque commeatus omnes ad centum, & ſexaginta bombardae captae ſunt, qua clade perterritus Turcus Conſtantinopolim propere ſe receperit. *Tandem Caliſto Tertio Eccleſiae gubernacula moderante hunc librum ſe ſcripſiſſe aperte nos edocet ipſemet Facius, qui in elogio Alphonſi Regis Caliſtum Pontificem nominat tamquam Eccleſiae praeſens caput, Chriſtianiſque rebus jam tum praeſidentem, qui unum Alphonſum ad bellum contra Turcas elegiſſet*: Magnus, *inquit pag.* 78. *de Alphonſo*, opibus, major auctoritate a Calixto Pontifice unus ex omnibus Regibus delectus eſt, cui bellum adverſus Maomettum Turcarum Principem maximum, & opulentiſſimum demandet. *Alphonſus autem ſe in Turcas iturum Caliſto pollicitus eſt, ut tradit idem Platina, qui*: Alphonſus autem Rex, *inquit*, & Burgundiae Dux Crucis ſignum ſuſcipientes ituros ſe quoque in hoſtem profitebantur, vel armatos milites eo miſſuros.

Ex his, quae diximus, ſatis conſtat hoc opuſculum ab eruditiſſimo, atque eloquentiſſimo Auctore compoſitum fuiſſe, tum quum Caliſtus Tertius Romanus Pontifex Eccleſiae regimen teneret. Sed quum Caliſtus per tres annos, menſeſque aliquot Petri Cathedram impleverit, inquirendum eſt, quonam anno hic libellus a Facio elucubratus ſit. In elogio Joannis Hunnacii Blanci pag. 64. *ait*: Dum haec proderem, Maomettum Ottomannum ab Albae Graecae, quam vulgo Belgradum vocant, obſidione depulit &c. *Si Matthiae Palmerio in temporum, & hiſtoriarum continuatione ad an.* 1456. *credendum eſt, menſe Auguſto ejuſdem anni hoc bellum geſtum fuit*. Bellum autem

tem, *inquit ille*, geſtum eſt die Sancti Sixti, qui eſt VIII. idus Auguſti. *Itaque menſe Auguſto an.* 1456. *ad finem vergebat Facii opus. Sed ulterius progrediamur. In ea claſſe, quae Orat. ibus recenſendis inſervit, mentio fit Aeneae Senenſis, poſtea Pii Secundi, qui nondum Cardinalis, Senarum tantum Epiſcopus nominatur. Nam de Aenea verba faciens doctiſſimus Facius pag.* 26. *ait, eum trium Pontificum Secretarium fuiſſe, Felicis, Eugenii, ac Nicolai, ſudditque porro a Friderico Imperatore Romanorum in Secretarium, & Cancellarium receptum fuiſſe. Mox alia adjiciens*: Secretarius, *inquit*, trium Pontificum Felicis, Eugenii, ac deinde Nicolai a Friderico Romanorum Imperatore in Secretarium, & Conſiliarium receptus eſt. Germaniam, quae natio diu Romanis Pontificibus minus obſequens fuerat, obſequium Eugenio primum, ac mox poſt Eugenii mortem Nicolao Quinto ipſe Legatus a Germanis detulit. Inter ipſum quoque Fridericum, atque Alphonſum Regem affinitatem junxit. In Conventu apud Germanos acto cauſa expeditionis in Turcas Imperatoris locum tenuit. *Vides hic de Aeneae Cardinalatu ne verbum quidem feciſſe Facium, ita ut colligi poſſit librum* de Viris Illuſtribus *ſcriptum ab eo fuiſſe, antequam Aeneas ad Cardinalatus dignitatem evectus eſſet, quam quidem dignitatem quum menſe Decembri anni* 1456. *adeptus fuerit, hinc ſequitur hoc opuſculum elabente anno* 1455. *fortaſſe incboatum, tum quum ſcilicet libros decem de geſtis Alphonſi Regis abſolverat Facius, perfectum ab eo fuiſſe ante Decembrem an.* 1456., *quo menſe ſacris Eccleſiae Cardinibus Aeneas adjunctus fuit. Quod autem, eo, quo diximus, menſe, eodemque anno Cardinalium ordini adſcriptus fuerit Aeneas Senenſis, probari facile poteſt ex illius epiſtolis, quas ad Imperatorem, alioſque ſummos Viros exaravit. In epiſtola* Divo Imperatori Federico Auguſto Domino ſuo *inſcripta,*

Digitized by Google

pta, *dataque* ex Urbe viceſima ſecunda Decembris MCCCCLVI. Quod, *inquit*, jamdudum, optaſti, procuraſtique Caeſar in perſona mea, nunc demum completum eſt. Habes tota quod mente petiſti. Nam quod Sanctae memoriae Nicolaus Papa Quintus tuae manſuetudini ſaepe pollicitus eſt, Beatiſſimus Pontifex Calixtus III. implevit, qui non meis meritis, nulla enim me virtus honore dignum efficit, ſed ſua incredibili bonitate, quae uſque ad indignos protenditur, & tua potiſſimum interceſſione his diebus ad Cardinalatus ordinem cum quinque aliis venerabilibus, & magnae auctoritatis Epiſcopis me provexit &c. *Huc referenda, quae ſcripſit* Sereniſſimae Imperatrici Leonorae Auguſtae Dominae ſuae, *&* Sereniſſimo, & potentiſſimo Principi Ladislao Hungariae, & Boemiae Regi ex Urbe Roma die viceſima ſecunda Decembris MCCCCLVI., *ut omittam alias epiſtolas, quae nocturna, diurnaque manu a doctis verſantur. Sed quid circuitionibus opus eſt? Quum ipſius Auctoris verba habeamus, quae ineunte anno* 1457. *libellum* de Viris Illuſtribus *jam completum fuiſſe nobis oſtendant? Siquidem Facius in Epiſtola miſſa* Aeneae Cardinali Senenſi *ex Neapoli circiter Menſem Martium anni* 1457. *ei Cardinalatus dignitatem denuo gratulatus, haec ferme ad calcem habet:* Librum, quem de Viris Illuſtribus ſcripſi, Regi dedicavi, ac tradidi. In quo opere, ut aliquando videbis, ſi non quantum virtutum tuarum magnitudo poſtularet, at quantum ingenii mei parvitas potuit, quantumque res ipſa paſſa eſt, tibi a me tributum cognoſces. *Quamobrem paulo ante ſuo labori modum impoſuerat Facius.*

Perfecto itaque, atque elaborato jam ante Decembrem anni 1456. *hoc libello* de Viris Illuſtribus, *vix pauci menſes elapſi ſunt, ex quibus per ora doctorum hominum volitare coepit. Nam hujus opuſculi notitiam evulgare*

gare coeperat ipſemet Auctor, qui, ut nuper vidimus, ipſum Aeneae Senenſi in ſuis ad eumdem litteris notum fecerat. Huic adjungendus idem Aeneas Cardinalis, qui in Epiſtola Bartholomaeo Facio Genuenſi *ſcripta* ex Urbe Roma die XXV. Martii 1457. *ei gratias agit, quod nomen ſuum in libello* de Viris Illuſtribus *collocaſſet:* Quod, *inquit*, ſcribis in eo, quem de viris illuſtribus aevi noſtri compoſuiſti, libro, datum nobis eſſe locum, non meritis noſtris, ſed tuae caritati aſcribimus. Et in hoc quidem fatemur imbecillitatem noſtram. Non tam inviti ſupra meritum laudamur, quam vituperamur. Ita enim natura comparatum eſt, ut nulli laus oneroſa videatur. *Obteſtatur deinde Bartholomaeum, ut libellum ad ſe mittat.* Nos eum librum, cum volueris, cupide videbimus, legemuſque. *Poſt Aeneae Cardinalis Piccolominei mentionem nullus uſpiam eſt ejuſdem aetatis ſcriptor, qui libelli* de Viris Illuſtribus *a Bartholomaeo Facio elucubrati meminerit. Hos ſubſecutus eſt, ſed longo proximus intervallo Oldoinus, qui pag.* 9. *Athenaei Liguſtici hoc opuſculum commemorat. Tandem Apoſtolus Zenus Vir Clariſſimus quum de Facio erudite diſſereret Tom. IX. Ephemeridum Venetarum hunc libellum inter Facii ſcripta recenſet, meminitque illius epiſtolae ab Aenea Cardinale ſcriptae, in qua eumdem commemorat. Ex eadem, quam laudavimus, epiſtola notus etiam fuit Cl. Joanni Alberto Fabricio, qui Tom.* 2. *Bibl. Latinae mediae, & infimae aetatis de Bartholomaei vita, ſcriptiſque tractans hoc opuſculum non omiſit. Apographum quoque hujuſce operis nactus eſt Eminentiſſimus Quirinus, qui pag.* 543. *eruditiſſimae ſuae Diatribae Praeliminaris ad Franciſci Barbari, & aliorum ad ipſum. epiſtolas conſcriptae hoc opus Bartholomaei Facii de* Viris ſui aevi Illuſtribus *commemorat, animadvertens typorum luce nunquam fuiſſe donatum, fateturque ſe ejuſdem ope-*

operis exemplar habuiſſe ab Erudito viro Benedicto Bandinello Benedictini Monaſterii Senis Praepoſito, qui opus illud duobus tantum ab hinc annis, *ut ait*, in Senenſi nobilis viri Bibliotheca repertum, & diligenter exſcripſit, & mecum nuperrime ſumma cum humanitate communicavit. *Subdit deinde elogium, quod Franciſco Barbaro texuit in hoc opuſculo Facius, ut ſpecimen eſſe illius breviloquentiae, quam ſectatus eſt Bartholomaeus, quamvis fateatur non ita jejunam eſſe, ac illam, quam coluit Paulus Corteſius in ſuo* de hominibus doctis *Dialogo. Elogium Franciſci Barbari ab Eminentiſſimo Quirino productum legitur pag.* 15. *hujuſce editionis, atque hujuſmodi eſt:* Franciſcus Barbarus Venetus Latinis, ac Graecis litteris praeditus Philoſophiae quoque, ac Logicae operam dedit. Scripſit de re uxoria librum unum. Epiſtolarum, in quibus ſcribendis multam curam adhibuit, libros aliquot reliquit. Traduxit ex Plutarcho Ariſtidis, & Cenſorii Catonis vitas. Omnes in Republica Veneta honores ſummos eſt conſecutus Legationibus multis honeſtiſſimis aditis non ſolum pacis, ſed etiam belli muneribus. *Sed omnium induſtriam, ac diligentiam longo poſt ſe intervallo reliquit vir Cl. Joſephus Antonius Saxius Ambroſianae Mediolanenſis Bibliothecae Praefectus, qui quum hiſtoriam Litterario-typographicam Mediolanenſem, quae aut jam prodiit, aut propediem proditura eſt, maximo totius Reipublicae litterariae commodo, atque ornamento contexeret, epiſtolam Nonis Febr. an.* 1744. *ad me dedit, in qua petebat, ut elogia* Antonii Panormitae, Franciſci Philelphi, Petri Pauli Vergerii, Nicolai Nicoli, Leodriſii Cribelli, Poggii Florentini, Jacobi Bracellei, Georgii Trapezuntii, Laurentii Vallae, P. Candidi Decembrii, & Pauli Veneti *a Facio elucubrata eidem tranſmitterem. Morem geſſi Viro eruditiſſimo, ut laborem ſuum exornaret,*

locu-

locupletaretque iis cimeliis, quae nunquam in lucem prodierant.

Haec ſunt, quae de operis argumento, ejuſque aetate, ac memoria apud doctos homines dicenda duxi. Ad calcem vero hujus libri pag. 79. *ſeq. nonnullas Facii, & aliorum ad ipſum epiſtolas adjeci, quarum aliquae quum in Codd. MSS., quibus uſus ſum, lacerae eſſent, earum lacunas exhibui, nec Oedipum eſſe volui. Epiſtola Facii ad Robertum Strozam, quam edidi paulo infra pag.* XXXIV. , *impreſſa fuit poſt Libellum* de Humanae vitae Felicitate *ſubjunctum ad Epitomen Felini Sandei* de Regibus Siciliae &c. *pag.* 147. *ſeq. Epiſtola VII, quae eſt Franciſci Barbari ad Facium, & VIII. Facii ad Barbarum prodiere inter epiſtolas Ant. Panormitae Venetiis* 1553. *in* 4. *pag.* 104. *ſeq., recuſaeque fuerunt ab Eminentiſſimo, atque Ampliſſimo S. R. Eccleſiae Cardinale Quirino inter Franciſci Barbari, & aliorum ad ipſum epiſtolas pag.* 158. *ſeq. num. CXIX., & CXX. Epiſtolam vero Facii ad Aeneam Cardinalem Senenſem, & Aeneae Cardinalis ad Facium accepi ex Baſileenſi editione Operum Pii Secundi fol., quarum prima exſtat Num.* 233. *pag.* 778. , *altera vero Num.* 251. *pag.* 784. *Quae ſuperſunt, nuſpiam adhuc prodierant.*

Ut autem doctiſſimi Auctoris vita, ſcriptaque magis, atque magis innoteſcerent, fabelliſque abjectis, atque obſcurioribus quibuſque majori luce perfuſis multa, quae de eo dici poterant, litteris mandarentur, huic Facii opuſculo ejus vitam praefixi, in eaque elucubranda id tantummodo ſeligendum duxi, quod ex illius, aliorumque ejuſdem aetatis auctorum ſcriptis eruere licuit, omiſſis plerumque animadverſionibus recentiorum Biographorum, qui fere nihil habent, praeter nugas canoras. Videbis inter alia pag. XXIX. ſeq., quanta argumentorum vi contra Cl. Apoſtolum Zenum probaverim emortualem Facii diem in annum 1467. *incidere non potuiſſe, ut ex Laurentii Vallae paulo ante Fa-*

cium defuncti obitu in Lateranenſi ejuſdem epitaphio ad annum 1465. *poſito perperam conjecerat. Nam Jacobi Curuli auctoritate ſuffultus oſtendi Facium ante Alphonſum Regem, qui an.* 1458. *obiit, deceſſiſſe, ideoque fieri non poſſe, ut Valla, qui paulo ante Facium obierat, anno* 1465. *moreretur. Jovii quoque verba produxi, quae Vallae mortem ad Cal. Auguſti an.* 1457. *referunt. Nunc autem adjiciam auctoritatem Joviani Pontani, qui Vallae aetate adoleſcens floruit. Is enim in epiſtola Calendis Januariis anni* 1460. *ad Petrum Salvatorem Vallam, & Joannem Ferrarium Neapoli ſcripta de Vallenſi Herodoti verſione tractans, poſtquam dixiſſet Vallam ab Alphonſo Rege rogatum fuiſſe, ut Herodotum ſibi latinum redderet, haec addit:* Quod quum ille Regi de ſe benemerito, ac honeſta praeſertim petenti non denegaſſet, ne operam ſuam, ut erat pollicitus, omnino praeſtaret, immatura mors effecit. Quo mortuo Rex libros eos, ut erant, Roma ſibi deferendos curavit, & in Bibliotheca ſua diligenter adſervari juſſit. *Ex his Pontani verbis liquet non anno* 1465., *ut legitur in corrupto epitaphio, ſed ante Alphonſum Regem, ideſt anno* 1457. *Kal. Auguſti, ut ait Jovius, obiiſſe Vallam, ideoque Facium, qui haud multos poſt dies deceſſit, menſe Novembri ejuſdem anni mortuum eſſe. Pontani verba, quae produxi, obſervavit Apoſtolus Zenus Tom. XI. Ephem. Venet. Art. XIII., qui errorem ſuum faſſus pag.* 323. *epitaphium Vallae correxit, & pag.* 324. *Facii obitum ad an.* 1457. *retulit.*

Hanc autem Facii vitam operum ab eo editorum recenſione locupletavimus. Scribit Valla Invect. I. in Facium noſtrum pag. 461. *Opp. hiſtoriam quoque de bellis Genuenſium cum Catalanis ab eo fuiſſe ſcriptam, ſuppreſſamque. Addit etiam, Facium ad ſe miſiſſe* invectivam adverſus neſcio quem Genuenſem contumeliis, ac conviciis plenam, quod diceret ſibi ab illo objectum in quadam

epi-

epiſtola, quod eſſet ingratiſſimus, & totus ex invidia factus, & dignus ſuo genere, ſuiſque majoribus. *Hanc, quamvis ibidem teſtetur Valla ſe audiiſſe a Facio fuiſſe emiſſam, nuſpiam vidimus. Poggius Inv. II in Vallam*: Bartholomaeus, *inquit*, Facius eos ſolos (*errores*) comprehendens, quos in hiſtoria illa tua praeclara de geſtis Regis Aragonum a te edita, & in Bibliothecam poſita, quam tamen jam vermes, & mures ob ejus celebritatem corroſerunt, in teſtimonium ignorantiae edidiſti, magnum volumen contexuit &c. *Haec quum produxiſſet Cl. Zenus Tom. IX. Ephem. Art. III. pag. 193. hoc Facii opus aut a Poggio fictum, aut amiſſum fuiſſe ſcribit. At poſtquam animadvertiſſet Vallam in Recriminationibus contra Auctorem noſtrum hiſtoriam ſuam ab erroribus ſibi objectis defendere, Tom. X. earumdem Ephem. Art. X. pag. 423. revera illud opus a Facio fuiſſe ſcriptum aſſerit. Hanc Zeni ſententiam probat idem Poggius in epiſtola hactenus inedita ad Bartholomaeum Ghiſelardum Bononienſem, ubi*: Bartholomaeus Facius vir eloquentiſſimus unico libello errores complexus eſt Laurentii Vallae, quibus referſit neſcio quam hiſtoriunculam ineptam, quam de vita Regis Aragonum conſcripſit. Hujus errata tot ſunt, ut pluribus libellis eſſent exprimenda. *Hic autem libellus, de quo verba facit Poggius, nihil aliud eſt, quam libellus Invectivarum, quas libros nominat etiam Valla, in quibus Vallae ejuſdem errores complexus eſt, ut patet tum ex Vallae Recriminationibus, tum ex Facii Invectivis, ſive Invectivarum reliquiis, quae in Miſcellaneis a Bettinello editis impreſſae ſunt, ubi multi hujuſmodi errores Vallae objiciuntur. Si Invectivarum a Facio compoſitarum argumentum ab ipſo Auctore Epiſt. II. pag. 82. exhibitum, & a me tibi denuo paulo infra pag. XXXVIII. ob oculos poſitum animadvertes, rem ita ſe ſe habere fateberis. In Bibl. MSS. teſtatur Labbaeus, & Bernardus Montfauconus deliteſcere in Bibl.* Re-

Regia Pariſienſi: Bartholomaei Facii Genuenſis de differentiis verborum latinorum. *Sed idem cum Invectivis eſſe arbitror. Zenus vir Cl. obſervat Tom. IX. Ephem. pag.* 192. *ex Tom. I. Bibl. Barberinae pag.* 393. *adſervari in eadem Bibl.* Facii Hiſtoriam ſuorum temporum Baſileae *editam anno* 1597. *in* 8.*, quod Tom. XXI. Memor. pag.* 321. *animadvertit etiam Niceronus. Ea vero anno* 1566.*, non* 1597. *edita eſt, quumque ejuſdem prologus incipiat*: Etſi nonnullos Viros &c. *hiſtoria vero in decem libros diſtributa*: Martinus Quintus Pontifex Maximus &c. *patet eamdem eſſe, ac Commentariorum libros decem de rebus ab Alphonſo geſtis. Ex eadem quoque Bibliotheca Barberina producunt tam Zenus, quam Niceronus* Hiſtoriarum, & Chronicarum Mundi epitomen Lugduni impreſſam an. 1533. *Sed aut hic fetus alium parentem agnoſcit, aut unum, idemque eſt cum Commentariis, quod etiam ſuſpicor de alio opere in Bibl. Regia Pariſienſi Num.* 221. *adſervato, inſcriptoque*: Bartholomaei Facii de Rebus Siculis. *Librum vero* de immortalitate animae *a Leandro Alberti pag.* 18. *Deſcript. Italiae Facio tributum idem puto cum libello* de Excellentia hominis, *in quo de eodem argumento tractatur. Nihil moror Oldoinum, qui in ſuo Atheneo Liguſtico Commentarium in Perſium a Bartholomaeo Fontio compoſitum Facio noſtro acceptum refert. Illud tantum dicam librum hunc de* Viris aevi ſui illuſtribus *acephalum eſſe, quum deſit Facii epiſtola, qua in litteris ad Aeneam Cardinalem Senenſem datis pag.* 107. *hujus opuſculi laborem ſuum Alphonſo Regi ſe nuncupaſſe teſtatur. Nunc Auctoris noſtri vitam, ſcriptaque aggrediamur.*

VITA

VITA
BARTHOLOMAEI FACII.

Bartholomaeus Facius natus eſt Spediae *intimo Lunenſi in portu Liguriae oppido*, ut ait Jovius in Elogiis Virorum Doctorum pag 197. Se Genuenſis ditionis fuiſſe innuit ipſemet, quum de Oratoribus tractans, Jacobumque Bracelleum Genuenſem iis adjungens hunc *Conterraneum ſuum* appellat: *Jacobus*, inquit pag. 19., *Bracelleus conterraneus meus in hoc numero non in poſtremis cenſetur*. Et paulo infra pag. 20. de eodem Bracelleo verba faciens Genuenſes *cives ſuos* nominat: *Moderatione animi civibus meis carus, & jucun-*

dus

dus. Hubertus quoque Folieta in elogiis Clarorum Ligurum Facium cum Bracelleo conjungit. Spedienſem exititiſſe Bartholomaeum noſtrum colligitur ex ejusdem Lib. IV. Rerum geſtarum Alphonſi Regis his verbis: ***Abeunte in Liguriam Alphonſo nonnulli clari copiarum Duces comites a Philippo adhibiti, a quibus per Placentinum, deinde per Parmenſem agrum Pontremulum, quod oppidum in radicibus Apennini ſitum eſt, atque inde Spediam, unde mihi origo eſt, emporium portu, ac mercatu nobile deductus poſtridie cum lembis ad ſe accerſitis Veneris portum mari petiit, &c.*** Facio accedat Blondus, qui in Italia Illuſt. de Liguria, ejuſque oppidis pag. IX. verba faciens: ***In ſinuque***, inquit, ***Lunenſis, ſive Veneris portus intimo Spedia eſt novum oppidum circa annos LX. muro circumdatum, ſecus quam inſpecta Italiae deſcriptione, ac pictura a majoribus facta Tigulliam fuiſſe conjector, idque oppidum Bartholomaeo Facio Viro doctiſſimo eſt ornatum. Genuenſem*** appellat Aeneas Cardinalis Senenſis in epiſtola ad eundem data ***Ex Urbe Roma die XXV. Martii MCCCCLVII.*** Quo nam anno natus ſit, incompertum eſt. Humanioribus litteris deditus praeceptorem habuit Guarinum Veronenſem latine, & graece eo tempore doctiſſimum. Hinc de Guarino verba faciens pag. 17. eum praeceptorem ſuum nominat: ***Guarinus***, inquiens, ***Veronenſis praeceptor meus latine, ac graece juxta doctus non ſoluta modo oratione, ſed etiam carmine commendatur***. Et in epiſtola ad ***Joannem Jacobum Spinulam*** pag. 80. ***Nam ut ait Guarinus clariſſimus praeceptor meus, & balbutientes infantuli diſerti plerumque parentibus videntur ſuis propter delectationem, quam ex ipſis percipiunt.*** Et in altera ad Robertum Strozam, quam paulo infra pag. XXXVI. produxi: ***Guarino praeceptori noſtro oſtendas***. Multum quoque ſe Guarino debere fatetur in litteris ***ad Hieronymum Guarinum*** ſcriptis, quem ***fratrem***

ſua-

ſuaviſſimum appellat. Eas *ex Roma* miſſas huic Opuſculo *de Viris Illuſtribus* Num. V. adjunxi, ubi pag. 86. *Ego enim pro paternis in me beneficiis illis quidem maximis, & immortalibus, proque tua in me pietate mihi perſpecta, & cognita tantum tibi debere me ſentio, quantum ipſe perſolvere nullis officiis poſſem*. Et paulo infra Guarinum *patrem ſuum* appellat: *Mittam vero tibi propediem, ut ſpero, invectivas quaſdam, quas nuper confeci in illum inſanum Laurentium Vallam, qui patris mei auctoritatem aſpernatur, ac pro nulla habet &c.* Praeterea Hieronymus Guarinus Facio ſcribens Epiſt. IV. *eum ſuum fratrem amantiſſimum* pag. 85. nominat, quumque noſter Auctor pag. 87. memoret Dialogum ſuum *de vitae felicitate*, animadvertatque à Guarino fuiſſe probatum, de eodem Guarino loquens ait mirùm ſibi non eſſe, ſi Guarino fructus ſui ſuaviores videantur. *Placuit*, inquit, *videre clauſulam illam, qua mentionem facit de opuſculo ipſe pater, & ſi ſcio multum amori tribui, fructuſque ſuos ſibi ſuaviores videri*. Quamobrem ampliſſimam bonarum litterarum cognitionem; quâ imbutus erat, omnem ad Guarinum praeceptorem referebat Facius. Genuae per aliquod temporis commoratus eſt, atque in perveſtigandis latinis auctoribus ſe ſe appulit, ut colligitur ex Epiſt. III. ſcripta *Antoniotto Grillo Claro Viro*. Ibi pag. 84 *Et ſane mirabar illum* (Cornutum) *penes te eſſe, & me id neſcire., praeſertim quum diligentiſſime non perquiſierim modo, ſed indagaverim, quum Genuae eram; num ullus in tota urbe eſſet, & nullum eſſe comperi*. Ferrariam quoque apud Guarinum aliquandiu commoratus fuit, ut conſtat ex libello *de Humanae vitae Felicitate* pag. 107., ubi: *Cum Antonius Panormita clarus, & ſingularis poeta, jureque conſultus Ferrariam ſe ſe aliquando contuliſſet, & forte apud Guarinum Veronenſem eloquentiſſimum virum eſſemus ambo, cujus hominis viſen-*

ſendi gratia in eam urbem profectus eram &c. Scribit Petrus Niceronus Tom. XXI. *Mem. Virorum litteris Illuſtr.* pag. 316. Bartholomaeum noſtrum a Republica Genuenſi Legatum miſſum fuiſſe ad Alphonſum Aragonum Regem: ſed re infecta domum rediiſſe. An res ita ſe habeat, incompertum mihi eſt, quum praeſertim Niceronus ſcriptoris auctoritatem nullam afferat, qua opinionem ſuam probet. Illud quidem conſtat Bartholomaeum Facium ab eodem Alphonſo ad ſe accitum, magnoque in honore habitum fuiſſe. Hinc in epiſtola ad *Jo. Jacobum Spinulam* Genuenſem miſſa teſtatur ipſemet Facius pag. 80. ſe jam rem ſuam conſtabiliviſſe cum inclyto illo Rege, futurumque, ut penes hunc Principem aetatem ſuam claudat. *Quod ſcire cupis, rem meam conſtabilivi cum inclyto Rege. Accepi jam ſalarii partem, & domum conduxi. Spero Dei ope rem melius, & felicius mihi in dies ſucceſſuram. Si effecero unum, quod ſpero, perpetuum mihi apud Majeſtatem ſuam domicilium pacatum fore non dubito, & quidem cum dignitate, & emolumento non exiguo.* Cogitaverat aliquando Romam ſe conferre, ut Poggio ſcripſit in Epiſt. II. *Factum etiam, ut quum antea cuperem Romam videre, nunc vehementius id cupiam tui videndi, & cognoſcendi cauſa.* Mox conſilium ſuum amico aperiens ſubdit pag. 82. *Volo enim propter amicitiam tuam, & per te Pontifici Maximo notus, caruſque fieri, quod mihi perſuadeo tua opera me facile, qua es humanitate, impetraturum.* Sed quum res ab Alphonſo geſtas litteris tradere juſſus eſſet, ut eidem Regi morem gereret, Neapoli ſedem fixit, liberalitatemque illius Principis expertus eſt. Quamobrem ad Poggium ſcribens Epiſt. XIII. *ex Neapoli die XIIII. Aprilis* 1455. *A Rege vero* (inquit) *mecum perliberaliter agi ſcito.* Stipendium, quo a Rege conductus fuerat, *liberale* etiam dicitur ab Jovio in Elogiis Virorum doctorum pag. 197., ubi te-

ſtatur

ſtatur ideo ab Alphonſo fuiſſe conductum, ut ſcilicet res a ſe geſtas litteris mandaret. *Sed Alphonſus Rex*, ait, *verae gloriae cupidus eum ideo liberali ſtipendio conduxerat, ut res ſuae bello geſtae, quae erant abſoluto ſcriptore digniſſimae, poſterorum memoriae mandarentur*. Tradit Folieta auctore neſcio quo ſuffultus eum ab Alphonſi epiſtolis fuiſſe. Inter hos, qui Facii ſtudia, doctrinamque apud Regem fovere, recenſendus eſt Franciſcus Raimus vir ſpectatiſſimus, ad quem exſtant Antonii Beccatelli litterae. In litteris Facii ad eumdem datis *ex Neapoli*, quas pag. 88. ſeq. hic edidimus, colligitur, quantum Raimo acceptum referret. Scribit enim: *Nihil praeterea dulcius ſignificatione tui erga me amoris, etſi mihi erat perſpectiſſimus, & luce meridiana, ut dici ſolet, clarior. Is enim mihi in meis rebus, in quibus de honore, & de utilitate mea agebatur, experimento notus erat*. Antonii quoque Panormitae opem praecipue ſenſit, atque, ut arbitror, ea potiſſimum de cauſa eum doctorum hominum fautorem in hoc opuſculo appellat. *Legationibus*, inquit pag. 4. de Panormita, *ac ſummis honoribus Regis functus, quibuſcumque viris doctis, & probis poteſt, enixiſſime ſemper favit, ac favet*. Nam quum inter Laurentium Vallam, & Bartholomaeum noſtrum levi ex cauſſa maximae inimicitiae exortae eſſent, virulentiſque orationibus, quas Invectivas, & Recriminationes indigitarunt, ſe mutuo impeterent, Antonius Panormita Bartholomaei partes ſequutus ei ſemper praeſto fuit. Hoc colligitur ex perbrevi Laurentii Vallae Elogio, quod Jo. An. Vigerius Abbas compoſuit, quodque ex Cod. Vaticano in lucem edidit doctiſſimus Praeſul Dominicus Georgius Num. IV. Appendicis Monumentorum, quae ſuae diſquiſitioni *de Nicolai V. Pont. Max. erga litteras, & Litteratos Viros patrocinio* adjunxit. In eo legitur pag. 207. ſeq. *Multis in urbibus Italiae Rhetoricam, ac Grammaticam docuit*

Digitized by Google

tuit (Valla) *Genuae* , *Papiae* , *Mediolani* , *Neapoli* ; *ubi propter contentionem ortam inter ipſum* , *&* *Bartholomaeum Facium Spedienſem* , *qui Antonii Panormitae fovebatur patrocinio* , *ſub Alphonſo Aragonum* , *& utriuſque Siciliae Rege* , *qui mortem obiit an* MCCCCLVII (lege VIII.) *quum Regnum plures annos obtinuiſſet* ; *diutius eſſe non potuit* *&c.* Et quidem Alphonſus Rex prae ceteris ejusdem aetatis, ſuique Regni Viris Illuſtribus Facium dilexit, fovitque, ut ipſemet Panormita teſtatus eſt Lib. II. *de Dictis*, *& Factis Alphonſi Regis*, ubi Facium *ſuavis*, *& priſcae eloquentiae virum* nominat hiſce verbis. *Inter doctrina vero* , *& ingenio inſignes amplexus praecipue Bartholomaeum Facium ſuavis* , *& priſcae eloquentiae virum* *&c.* Quo nam anno Facius diem ſuum obierit, incertum eſt. Si Caeſari Engenio *in Neapoli ſacra* pag. 65. credendum eſt, anno 1447 obiiſſe dicemus. Nam epitaphium Facii profert jam deletum, quod ita ſe ſe habet. *MCCCCXXXXVII. Bartholomaeus Facius hiſtoricus egregius hic ſitus eſt*. Sed quînam fieri potuit, ut anno 1447 obierit, quum *anno* 1451. *XV. Kal. Septemb. Venetiis* ad eum Barbarus ſcribat? Vide epiſt. VII. hujusce voluminis. Barbaro reſpondet Facius epiſtola VIII. *ex Neapoli* 26. *Septembris* 1451., qua ſcribit, ſe libros ſeptem de geſtis Alphonſi Regis jam edidiſſe, & tunc Bellum Picenum in manu habere. Tantum abeſt, ut anno 1447 obierit. Anno quoque 1452. vixiſſe Facium patet ex alia epiſtola, quam ſcripſit Franciſcus Barbarus *clariſſimo Iuriſconſulto Barbono Mauroceno Legato Venetiis V. Kal. Octobris MCCCCLII.*, ubi prope finem: *Clariſſimo Viro Antonio Panormitae ſalutem dic* ; *& illum roga* , *ut ſicut mihi coram promiſit* , *hiſtoriam ad me mittat* , *quam diſertiſſimus Bartholomaeus Facius ſcripſit de rebus geſtis a Rege Alphonſo*. Inter illas epiſtolas, quas huic opuſculo ſubje-

ci-

eimus, extat Num. XIII. epiſtola Facii ad Poggium data *ex Neapoli die XIIII. Aprilis* 1455., ex qua colligitur anno quoque 1455. vitam duxiſſe. Multa ſunt in hoc Libello *de Viris ſui aevi illuſtribus* a me nunc primum edito, quae Facium anno 1455., atque inſuper an. 1456. ſuperſtitem nobis oſtendant. Nam pag. 76. mentio fit Nicolai Quinti Pontificis Maximi, utpote morte jam praerepti, quod anno 1455. accidit. Memoratur praeterea pag. 78. Pontifex Caliſtus Tertius tamquam univerſam Chriſti Eccleſiam regens, ac gubernans; recenſeturque pag. 64. clades, quam ad Bellogradum Turcis intulit Joannes Hunnacius Blancus, quod an. 1456. evenit, ut in proemio pag. XII. oſtendimus. Exeunte quoque anno 1456. vixiſſe Facium patet ex epiſtola Aeneae Sylvii Cardinalis Senenſis ſcripta ad Blandum Bindium Senenſem *ex Urbe Roma* die XXIX. Decembris 1456. Ubi: *Vale, & amicos illos noſtros Neapolitanos noſtro nomine ſalvere jubeto, Antonium Panormitam, Matthaeum Malferitum, Bartholomaeum Facium, Matthaeum Joannem, & reliquos, quibus nos cffento, & dato.* Anno quoque ineunte 1457. vivebat Facius, ut conſtat ex duabus poſtremis epiſtolis, quae in epiſtolarum ſylloge huic libello adjuncta leguntur, quarum XVI. ab Aenea Cardinali Senenſi ad Facium ſcripta eſt *ex Urbe Roma die XXV. Martii* 1457., decimaquinta vero a Facio ad eundem Aeneam miſſa fuit ineunte eodem Martio, eodemque anno. Quamobrem opus eſt, ut epitaphium a Caeſare Engenio productum corruptum ſit. Auctor eſt Summontius in Hiſt. Neapol. Lib. V. pag. 224. menſe Novembri anni 1457. deceſſiſſe. At id non modo dubium, ut Tom. XXI. Memor. cum Zeno obſervat Niceronus, ſed falſum eſſe contendunt. Nam menſe Martio ejuſdem anni 1457. ſuperſtes erat Facius, ut nuper vidimus, ejuſdemque anni curſum incolumen

exple-

Digitized by Google

explevisſe ex eo colligunt, quod, ut tradit Rocchus Pyrrhus in Sicilia Sacra, Oeconomus Eccleſiae Cephaloditanae eo anno fuerat. Illud etiam accedit, quod Jovius, aliique auctores teſtantur, Bartholomaeum Facium paulo poſt Vallam obiiſſe. Jovii verba in Elogiis Virorum doctorum pag. 197. haec ſunt: *Subſecutus eſt* (Facius) *propere hoſtem Vallam pari, ac importuna fatorum injuria elegantioribus ſtudiis ereptus, ita ut non inficete hoc carmen epitaphio ſubſcribendum ederetur:*

Ne vel in Elyſiis ſine vindice Valla ſuſurret,
Facius haud multos poſt obit ipſe dies.

Deinde Latomi verſus ſubjungit, qui hujuſmodi ſunt:

Qui Vallam nequiit vivum ſuperare, petendum
duxit ad infernas, iſſet ut umbra, domus.
Copiolas noſtras ait, ut qui laeſerit omnes,
conjungam doctis manibus, & moritur.

Eadem fere nos edocuit hiſce verſibus Jo. Matthaeus Toſcanus pag. XI. Pepl. Italiae:

Et Latiae, & Graiae Facium facundia linguae,
ſed mage cum Valla proelia nobilitant.
Inſtitit acer enim vivo; indefeſſus & hoſtis:
caeſus & a pugna non quoque victus abit.
Quin apud Elyſias extincto inſultet ut umbras,
haud mora defunctum ſubſequitur moriens.

At quum Laurentius Valla diem ſuum obierit die prima Auguſti an. 1465., ut ex illius epitaphio percipimus, neceſſe eſt, ut poſt Auguſtum an. 1465. Facius deceſſerit. Tantum abeſt, ut Menſe Novembri an 1457. mortuus ſit, ut comminiſcitur Summontius. Haec ferme Apoſtolus Zenus Tom. IX. Ephemeridum Venetarum Art. III., aliique, inter quos potiſſimum Petrus Niceronus Tom. XXI. *Memor. Vir. Illuſtr.* pag. 318., qui an. 1467. novem ſcilicet annos poſt mortem Alphonſi Aragonum Regis deceſſiſſe Facium putat, ideoque in Epitaphio apud Caeſarem

ſarem Engenium pro an. 1447 annum milleſimum quadringenteſimum ſexageſimum ſeptimum reſtituendum eſſe opinatur. Sed ut omittam dici non poſſe, Facium ſubſecutum fuiſſe propere hoſtem Vallam, ſi hoc duorum annorum ſpatium inter utriuſque mortem admittatur, Jovius, aliique, quos produximus, Summontii ſententiam non evertunt. Nam quamvis tradat Facium poſt Vallam obiiſſe, putabat tamen Vallam non an. 1465., ut ex epitaphio eruitur, ſed anno 1457. deceſſiſſe. Jovii verba haec ſunt ex Elogiis Clarorum Virorum in Valla: *Obiit anno Chriſtianae Salutis MCCCCLVII. Calendis Auguſti.* Haec de Laurentii Vallae morte Jovius. Praeterea ut Summontii, Juſtinianique opinionem probem, conjecturae illi, quam ex Vallae epitaphio in Baſilica Lateranenſi poſito eruit Apoſtolus Zenus, aliique, opponam auctoritatem Jacobi Curuli, ſeu Curli Facii noſtri amantiſſimi, ejuſque aetatis hominis. Hic eſt Jacobus ille Curulus, ſeu Curlus Genuenſis, quem in ſuis Epiſtolis honoris cauſſa ſaepiſſime nominat noſter Auctor. Nam pag. 81. Epiſt. II. *Hominem diſertiſſimum*, & ſibi *conjunctiſſimum*, pag. 84. Epiſt. III. *cultiſſimum*, pag. vero 88. Epiſt. VI. *virum clarum* eumdem appellat. Quamobrem Jacobus Curulus auctor ſynchronus aperte innuit in Epiſtola ad Arnaldum Fenoledam Equitem Hiſpanum Auctorem noſtrum paulo ante Regem Alphonſum morte ereptum fuiſſe. Nam de Arriani verſione a Facio elaborata tractans: *Itaque*, inquit, *hiſtoriam ipſam latinam, & ſuaviſſimam reddidit Facius noſter, cujus tamen quum quartam vix partem preſſiſſet reliquis tribus nondum ſatis elimatis morte praeventus opus multis lituris abolitum, & vulneribus paene confoſſum reliquit. Quod vivens Alphonſus Rex haud multo antequam & ipſe mortem obiret, recuperavit, ut aliquando tandem qualicumque modo reſtitueretur &c.* Vides itaque Bartholomaeum Facium paulo ante Alphon-

phonſum Regem, non novem annos poſt eumdem, ut comminiſcitur Zenus, ac poſt Zenum Niceronus, aliique, obiiſſe, quumque Alphonſus Rex menſe Iunio anni 1458. ex hac vita deceſſerit, quis non adhaereat Summontii opinioni, qui menſe Novembri an. 1457. Facium mortuum eſſe ſcribit? At Apoſtolus Zenus, Niceronus, iique, qui ejusdem Zeni amplectuntur ſententiam ad evertendam Summontii fidem nobis obiectabunt auctoritatem ipſiuſmet Facii. Quînam, inquient, anno 1457. obire potuit Facius, quum tranſmiſerit libellum ſuum *de Excellentia, ac praeſtantia hominis ad Pium Papam Secundum*, ut inſcribitur in editione Hanoviana pag. 149., quam typis Vechelianis apud heredes Joannis Aubrii edidit 1611. Marquadus Freherus? Hoc vero Librarii commentum eſt. *Nam libellum de Excellentia, ac praeſtantia hominis* a Facio antè Pii Secundi tempora compoſitum fuiſſe vel ex eo patet, quod commemoratur in hoc opuſculo *de Viris Illuſtribus*; quod a Bartholomaeo elucubratum fuit ante, quam Aeneas Sylvius, poſtea Pius Secundus ad Cardinalatus dignitatem evectus eſſet, ut paulo ſupra pag. XIII. demonſtravimus. Nam de Jannotio Manetto tractans, libelli ſui *de Excellentia, ac praeſtantia hominis* his verbis meminit pag. 19. hujus opuſculi: *Scripſit* (Manettus) *item de dignitate hominis, quem librum Alphonſo Regi dedicavit, neſcius, ut ipſe ait, de eadem re me paulo ante licet alio titulo ſcripſiſſe*. Quamobrem pro Pio Secundo reponendus eſt Nicolaus Quintus, ad quem opuſculum ſuum miſiſſe Facium nos edocet Codex Vaticanus 3562., ejuſque fretus auctoritate Cl. Praeſul Dominicus Georgius, qui pag. 199. Diſquiſitionis eruditiſſimae de *Nicolai Quinti Pont. Max. erga litteras, & Litteratos Viros patrocinio* ait Syntagma *de Hominis excellentia* a Bartholomaeo Facio elucubratum fuiſſe, atque ab eo Nicolao V. Pontifici nuncupatum.

BAR-

BARTHOLOMAEI FACII

SCRIPTA.

I. B*Artholomaei Facii de bello Veneto Clodiano ad Joannem Jacobum Spinulam Liber*. Hic eſt ille Joannes Jacobus Spinula, ad quem mittit epiſtolam primam hujus ſylloges pag. 19. ſeq. Hunc multo ante, quam editus fuerit, a Facio compoſitum fuiſſe patet ex primis proemii verbis, quae ſunt: *Incidit mihi nuper in manus, Joannes Jacobe ornatiſſime, cum reſupinarem libellos meos, bellum illud Venetum vulgatiſſimum Clodianum appellatum, quod alias, prout in Annalibus noſtris ſcriptum reperi, in commentariolos quoſdam contuleram eo animo, ut illud aliquando expolirem, &c.* Hiſtoriae autem initium eſt: *Belli Veneti Clodiani rerum geſtarum magnitudine, & fortunae varietate memorabilis hinc ortum accepimus &c.* Deſcribitur in hoc bellum anno 1377. inter Venetos, & Genuenſes ortum, cui occaſionem dederat Andronici, & Manuelis Imperatoris Graeci filiorum de ſucceſſione contentio. Prodiit Lugd. 1568. in 8. apud Gaſparem a Portonariis, ac recuſus fuit Tom. V. Par. IV. Theſ. Antiq., & Hiſt. Ital. Hujus meminit Leander Alberti pag. 18. deſcript. Italiae.

II. Poſt bellum Clodianum ſequitur: *Aliud parvi temporis bellum Venetum*. Tradit Facius in proemio ad bellum Clodianum duo alia bella Veneta a ſe litteris fuiſſe tradita. Facii verba haec ſunt. *In eoſdem quoque commentariolos conjeceram ſuperiora bella Veneta, quae, ut arbitror, duo fuere, quibus civitas noſtra multas inſignes victorias de Venetis conſecuta eſt.* Hoc vero, de quo loqui-

loquimur, nihil aliud eſt, quam exiguum fragmentum. Duo enim illa bella Veneta exciderant ex ejus commentariis, ut in eodem proemio ad bellum Clodianum ipſemet innuit hiſce verbis: *Et niſi illa ſuperiora neſcio quomodo e libellis meis excidiſſent, ea quoque cum hoc ipſo celebrare ſtuduiſſem, quod aliquando fortaſſe faciam, ſi ea ad me miſeris, niſi quis alius me doctior hunc mihi, quod velim, laborem praeripuerit*. Incipit hoc fragmentum belli Veneti: *Poſt eam pacem bellum civile apud Genuenſes ſubito exortum eſt &c.* Prodiit una cum bello Veneto Clodiano. Horum commentariorum meminit Facius in Epiſt. I ad Joannem Jacobum Spinulam pag. 80. hiſce verbis: *Commentariolos meos quum exornavero, & expedivero (reſtat enim ſcribendum ultimum bellum domui tuae, imo meae calamitoſum) mittam ad te pueri mei manu. Sed quorumdam hominum negligentia, a quibus notitiam rerum eo bello geſtarum requiſivi, eos nondum perficere valui &c.*

III. Bartholomaei Facii de humanae vitae felicitate ad Alphonſum Aragonum, ac Siciliae Regem inclytum &c. Liber incipit. Hunc libellum poſt ſuperiora bella a Facio elucubratum fuiſſe conſtat ex eadem Facii epiſtola ad Jo: Jacobum Spinulam. Nam poſtquam pag. 80. de eiſdem commentariolis ſcripſiſſet, addit: *Sed nuper confeci, atque edidi Dialogum quemdam de vitae felicitate, ut paulo ante ad te ſcripſi, & eum huic ampliſſimo Regi inſcripſi, quem optimo viro, ac tui amantiſſimo Giſulfo ad te afferendum dabo &c.* Argumentum hujus operis ipſemet tradit. Nam ſub initium haec habet: *Id autem divina ſapientia proviſum eſſe ſatis crediderim, quo mortales perſpectis tot praeſentis vitae miſeriis nullam in Terris veram, ſolidamque felicitatem conſtare ſciant, & proinde Caelum illis ſuſpiciendum eſſe, ubi vera, & ſemper manens beatitudo ſit, quod quantum in me* fue-

Digitized by Google

fuerit, exquirendum putavi. Et paulo infra: *Ego tamen totam opinionem meam ex hominum ſapientiſſimorum ſententiis, & divinitus inſpiratorum traditione confirmavi, quod legens ipſe cognoſces.* Hic autem libellus per dialogum ſcriptus eſt, colloquunturque Guarinus, Antonius Panormita, & Joannes Lamola: *Ut autem*, inquit Facius pag. 107., *ſcias libelli ordinem, Antonium Panormitam Poetam, atque Equitem praeclarum, Guarinum Veronenſem Oratorem praeſtantiſſimum, ac Joannem Lamolam diſertiſſimum virum colloquentes facio, ut coram quaſi praeſentes invicem loqui putes. Habet enim neſcio quomodo plus ſuavitatis, & gratiae, dicam etiam dignitatis oratio per dialogum deſcripta &c.* Hujus libelli principium eſt: *Humanae vitae conditionem ſaepius reputanti mihi, Rex ſapientiſſime, illud maxime mirandum videri ſolet, quod cum Deus ipſe princeps, & conditor rerum omnium nihil in Terris praeſtantius homine creaverit &c.* Prodiit Hanoviae typis Vechelianis apud heredes Joannis Aubrii 1611. in 4. poſt epitomen Felini Sandei Ferrarienſis de Regibus Siciliae, & Apuliae, aliaque pag. 106. ſeq., quae dicuntur *e Manus: nunc primum edita ex Bibliotheca Marq. Freberi* &c. Hoc decepit Jo: Voſſium Lib. III. de Hiſt. Lat. Cap. V. Nam prima hujus libelli editio prodiit Antuerpiae apud Chriſtophorum Plantinum 1556. in 8. Vide Niceronum Tom. XXI. pag. 320., & Apoſtolum Zenum Tom. IX. Ephemeridum Venetarum Art. III. Alibi etiam meminit Facius hujus Dialogi. Nempe in litteris ad Poggium ſcriptis pag. 82. Epiſt. II. *Interea vero mutuis litteris crebro una dicebit eſſe, ſi voles, daboque operam, ut propediem videas Dialogum meum, quem huic Regi dicavi, atque inſcripſi &c.* Hieronymus quoque Guarinus in Epiſt. ad Bartholomaeum Facium Num. IV. pag. 85. hunc dialogum commemorat: *Accepi litteras, quibus ſcripſit (Gua-*

rinus Senior) *ad Kalendas Julias redditum eſſe ſibi opuſculum tuum cum litteris &c.* Guarino addendus iterum Auctor in litteris ad Franciſcum Raimum Num. VI. pag. 90. *Mittam etiam ad te cum his fortaſſe Dialogum* de vitae felicitate, *ne rerum mearum expers ſis*. Poggius in epiſt. ad Facium Num. IX. pag. 97. *Dialogum tuum expecto ſumma cum aviditate &c.* Antonius Panormita de *dictis*, & *factis Alphonſi Regis* Lib. II. §. 61. de Alphonſo Facium fovente loquens: *Maxime ejus libri ſuavitate allectus, quem* de vitae felicitate *Regi ipſi antea dicaverat.* Facius noſter reſpondens Hieronymo Guarino Epiſt. V. pag. 87. *Quod Dialogus meus* de vitae felicitate *patri tuo optimo, ac graviſſimo viro probetur, omnibus doctiſſimis viris probari ſpero. Sed miror nimis Roberti Strozzae negligentiam in eo patri oſtendendo, & litteris meis reddendis &c.* Bartholomaei Facii epiſtolam ad hunc Robertum Strozzam, pro quo pag. 87. errore typographico *Storgae* excuſum eſt, exſtat in editione Freherana ad calcem hujus dialogi pag. 147. ſeq., ad quem quum ea ſpectet, ſubjunctam hic volui. Ea igitur hujuſmodi eſt.

BARTHOLOMAEUS FACIUS ROBERTO STROZAE SALUTEM PLUR. D.

ANimadverti, Vir ornatiſſime, ex litteris tuis perbrevibus id, quod per hoſce dies ex te audivi, videri tibi Lamolam, cui partes dialogi mei tribuo, nimis facile concedentem Guarino omnia, quod & quidam alius, quem honoris cauſſa non nomino, dixiſſe fertur. Ait enim Lamolam victas ubique praebere manus, quaſi neſcientem objecta confutare. Ab iſta ratione, ut me tibi dixiſſe memini, pace

tua

tua loquar, longe Roberte diſſentio. Nam ſi una res tantum mihi tractanda eſſet, fortaſſe hoc, quod dicis, probaretur magis. Sed cum mihi propoſitum ſit omnes artes ingenuas, atque omnia ſcientiarum genera percurrere, nunquam eſſet inventus diſputationis meae exitus, ſi Lamolam Guarino, & Guarinum Lamolae ſaepius contradicentes, ac pugnantes inducerem, idque cum primum efficere tentaſſem, prolixitatis praeſertim non neceſſariae faſtidio permotus a propoſito meo deſtiti. Satis enim duxi cum oſtendiſſem exempli cauſa quae bona eſſe viderentur in divitiis, & e contrario quae mala; ad alias ſpecies devenire, & in ea re una non progredi longius. Quid enim relinquitur, poſtquam enumerata ſunt bona, malaque, ex quibus felicitas, & infelicitas maxime judicatur, quo longior deſideretur diſputatio? Sane quicquid praeterea diceretur in eam ſententiam, id exquiſitae cujusdam magis, quam neceſſariae diligentiae eſſe cenſeretur. Eſt mihi praeterea auctor, quo neſcio an ullus gravior, Xenophon ille Socraticus, qui in eo Dialogo, qui eſt de vita tyrannica *inſcriptus, commemoratis bonis, & malis, quae in vita tyrannica incidunt, quaeſtioni ſuae fidem facit, quem ego in hac diſputatione, quod attinet deſcribendi genus, imitari volui. Sic etiam Cicero de ſenectute diſputans, & de amicitia docuit, quid boni ſit in ſenectute, quid in amicitia, nec Scipionem Catoni, nec Fannium Laelio contradicentem facit, quamquam eſt illa una, & perpetua quaeſtio, ſed tacitis quibusdam obiectiunculis confutatis, diſputationi ſuae modum imponit. Secus autem in Quaeſtionibus Tuſculanis facit. Cum enim probare vult mortem non eſſe malum, aut animi aegritudinem in ſapientem cadere non poſſe, quae una, & perpetua quaeſtio eſt, quoniam his de rebus varia eſt opinio, propterea D. Brutum interdum repugnantem inducit. Eſt altera ratio, qua id fecerim. Scis perſonae dignitatem in Dialogis ſervandam eſſe. Cum vero ſcirem, qua comitate, & facili-*

tate ſit Lamola in reſpondendo, & minime pertinaciter adverſando veritati, ſervire perſonae volui, ut eo digna videatur oratio. Huc accedit, quod cum ei ſermo, & diſputatio ſit cum praeceptore ſuo doctiſſimo, & graviſſimo viro, cujus auctoritas ſumma eſt, & habetur, indignum cenſui, & contra decorum inducere illum Guarini pertinaciter judicio refragantem. His rationibus adductus ſum, vir doctiſſime, ne Lamolam Guarini defenſiones refellentem, ſed potius eas facile, ut tu dicis, concedentem faciam. Quae ideo tibi ſignificare volui, ne a me hoc temere factum putes, et ut omnibus nota ſit propoſiti, atque inſtituti mei ratio, qui ea, qua tu, opinione tenerentur. Sed haec hactenus. Quum vero Ferrariam repetere conſtitueris, praeſtabo, ut exemplar aliquod ipſius Dialogi tecum ferre poſſis, quandoquidem ita petis, ut illud & Principi tuo perilluſtri, ac litteratiſſimo, & Guarino praeceptori noſtro oſtendas, quorum alterius gratiam per te inire, alterius augere, ſi modo poſſim, vehementer cupio. Vale.

Hanc epiſtolam Facii ad Robertum Strozam memorat, ejuſque partem producit Laurentius Valla Invect. II. in Bartholomaeum noſtrum, ubi non ſolum in iiſdem litteris ad Strozam, ſed etiam in opuſculo *de humanae vitae felicitate* multa notat. Eum vide, ſi lubet, pag. 538. ſeq.

IV. *Bartholomaei Facii de excellentia, ac praeſtantia hominis ad Pium Papam Secundum liber &c.* Hunc poſt opuſculum *de humanae vitae felicitate* compoſitum fuiſſe ex eo patet, quod in hoc, de quo agimus, memoratur idem liber *de felicitate*. Nam duplici vice, nempe pag. 160, & pag. 166. ſub *Opuſculi* nomine eumdem allegat, & pag. 159. haec clariora habet: *Quamobrem ad ea tranſire melius puto, quae homini juſte viventi, atque a divinis legibus non diſcrepanti poſt praeſentis vitae curſum a Deo conſtituta ſunt, de quibus quo-*

niam

Digitized by Google

niam plura dixi in eo libro, qui eſt a me de vitae felicitate *ſcriptus &c.* Studiorum ſuorum deguſtationem quamdam appellat hoc opuſculum Facius ita Pontificem alloquens pag. 149. *Tu vero, velim Sanctiſſime Pater, atque Optime, hoc opuſculum ſic accipias, ut ſtudiorum meorum, qualiacumque ſint, deguſtationem quamdam &c.* Opuſculi initium hujuſmodi eſt: *De hominis excellentia ſcribere nuper aggreſſus ſum, Beatiſſime Pater, de qua quidem te acceperam Innocentium Fliſcum, qui olim fuit et ipſe Pontifex Maximus, virum plane eruditiſſimum in eo libro, in quo humanas miſerias complexus eſt, pollicitum eſſe ſe ſe ſcripturum, ſed quod fortaſſe accidere potuit, Pontificatus negotiis impeditum, quod promiſerat, non praeſtitiſſe. Nam cum vehementer &c.* Prodiit una cum Epitome Felini Sandei Ferrarienſis de Regibus Siciliae, & Apuliae, aliiſque Hanoviae typis Vechelianis 1611. in 4. poſt libellum *de humanae vitae Felicitate* pag. 149. ſeq. Hujus opuſculi meminit Facius in ſuperiori libro *de Viris aevi ſui illuſtribus* Cl. II. pag. 19. in elogio Jannotii Manetti. *Scripſit item* (Manettus) *de dignitate hominis, quem librum Alphonſo Regi dedicavit, neſcius, ut ipſe ait, de eadem re me paulo ante licet alio titulo ſcripſiſſe.* Ex his liquet perperam *ad Pium Secundum* inſcriptum eſſe hoc opuſculum, ut ſupra pag. XXX. innuimus, quum memoretur ab Auctore noſtro in hoc libello *de Viris illuſtribus*, qui elucubratus ab eo fuit, antequam Aeneas ad Cardinalatum evectus eſſet, ut in proemio pag XIII. probavimus. Vide Facii vitam pag. XXX., ubi una cum Clariſſimo Praeſule Dominico Georgio Codicis Vaticani auctoritate ſuffulto *Nicolao Quinto* nuncupatum eſſe diximus.

V. *Bartholomaei Facii quatuor invectivae in Laurentium Vallam.* Has poſt Dialogum *de humanae vitae felicitate* Alphonſo Regi inſcriptum elucubratas fuiſſe

nos

nos edocet Facii epiſtola ad Poggium Florentinum Num. II., ubi poſtquam pag. 82. memoraſſet eumdem Dialogum, addit. *Mittam vero tibi invectivas quatuor, quas nuper compoſui in Laurentium Vallam hominem arrogantem, tibique cognitum, qui ob id Romam venerat, ut a Pontifice in ordinem tuum referretur, ſed accepturum, quantum audio, pro meritis ſuis &c.* Hoc etiam patet ex ejuſdem invectivis, ubi nominat libellum *de vitae felicitate* his verbis. *Nunc tantum ſupereſt, ut libri* de vitae felicitate, *quem vituperas, defenſionem ſubeam* &c. Et alibi: *Praeſertim cum te audiam maledictis, & obtrectationibus haud finem facere, librumque meum* de vitae felicitate *carpere, atque contemnere* &c. Harum argumentum ipſe Epiſt. II. aperit: *Videbis*, inquit, *praeter animi vitia quam ſit indoctus. Innumerabiles enim errores collegi ab eo commiſſos in quodam Hiſtoriarum libro, quem Regi detulit jam ſuper menſes decem, quum tamen plures praetermiſerim, quod ut agerem me impulerunt ineptiae ejus, qui in omnes doctos homines, nec minus in mortuos, quam in vivos morbo quodam animi petulantiſſime invehitur &c.* Et in litteris ad Hieronymum Guarinum Num. V. pag. 87. *Mittam vero tibi propediem, ut ſpero, invectivas quaſdam, quas nuper confeci in illum inſanum Laurentium Vallam, qui patris mei auctoritatem aſpernatur, ac pro nulla habet, in cujus libro de rebus geſtis Regis Ferdinandi patris Divi Alphonſi plura profecto vitia reperi, quam enumerare quiſquam poſſit &c.* Multa ex hiſce Facii Invectivis protulit in ſuis Recriminationum libris Valla eadem refellens, reprehendenſque. Editor Sylloges variorum opuſculorum, quae Venetiis a Thoma Bettinello imprimuntur, quum has quatuor invectivas ope Barrotii habuiſſet, ex his unam fecit, quae incipit: *Linguae tuae petulantiam &c.* editaque fuit, ſed manca, ac crudeliter lacera Tom. VII. eorumdem Miſcellaneorum, quae Venetiis edit idem Thomas Bet-

Bettinellus pag. 334. ſeq. Harum invectivarum meminit etiam Facius in litteris ad Franciſcum Raimum Num. VI. pag. 90. *Invectivas in Vallam tranſcribi curabo, ut primum potuero. Sunt enim confectae &c.* Poggius in litteris ad Facium Num. IX. pag. 97. *Dialogum tuum expecto ſumma cum aviditate, & item invectivarum libros in eum, quem nominaſti &c.* Cauſam inimicitiarum inter Facium, & Vallam vide apud ampliſſimum, atque eruditiſſimum S. R. Eccleſiae Cardinalem Angelum Quirinum Part. I. Diatribae Praeliminaris Cap. II. §. VI. pag. LXII. ſeq. Hiſce Bartholomaei Facii Invectivis repoſuit Valla alias quatuor, quae exſtant pag. 460. ſeq. operum Vallae editorum Baſileae per Henricum Petrum in fol., quarum prima pag. 460. ſeq. inſcribitur: *Laurentii Vallae in Bartholomaeum Facium Ligurem invectivarum, ſeu recriminationum liber primus:* Altera pag. 511. ſeq. *Liber ſecundus de erratis Bartholomaei Facii in notis, quas ſcripſit in Vallam:* Tertia pag. 589. ſeq. *Liber tertius reſponſio Vallae in Facii invectivam tertiam, quae eſt in librum tertium:* Quarta pag. 592. ſeq. *Liber quartus recriminationum Laurentii Vallae in Bartholomaeum Facium, & Antonium Panormitam, in qua reſpondet ad obiecta in mores, ac reliquos libros ſuos* &c. Multa ſunt, quae de Facio noſtro tradit Valla in his Invectivis. Ait enim Inv. I. pag. 460., & alibi Facium ſutoris filium fuiſſe, atque a Spinula Familia educatum: pag. 462. docuiſſe filium Raphaelis Adorni Ducis Genuenſis. Invect. II. pag. 533. ignoraſſe litteras graecas: Inv. I. pag. 460. multa ſe correxiſſe in ejus hiſtoriis de bellis Genuenſium cum Venetis. Addit eumdem Facium a Panormita incenſum, adjutumque Invectivas illas quatuor in ſe ſcripſiſſe. In his Vallae Invectivis perperam interdum *Benedictus* pro *Bartholomaeo* nominatur noſter Auctor. Quod autem ad Facii hiſto-

riam

riam de bellis Genuenſium cum Venetis ſpectat, in qua multa ſe correxiſſe teſtatur Valla, incorruptum quoque judicium in ea deſideratum innuit Jovius in Elogiis &c.

VI. *Bartholomaei Facii de Rebus geſtis ab Alphonſo primo Neapolitanorum Rege Commentariorum libri decem*. Haec Commentaria circiter annum 1450. incoepta ab Auctore noſtro fuiſſe opinatur Apoſtolus Zenus Tom. IX. Ephem. Venetarum Art III., quod etiam conjicio ex litteris ad Poggium Num. II. pag. 82., ubi res illius inclyti, & Excellentiſſimi Regis, quas ſibi in manu eſſe tradit Facius, nihil aliud ſunt, quam haec Commentaria de rebus geſtis Alphonſi Regis. Elabente vero anno 1455. confecta a Facio fuiſſe ſupra pag. X. demonſtravimus. Juſſus a Rege hoc opus movit, ut his verbis innuit Antonius Panormita *de dictis, & factis Alphonſi Regis* Lib. II. § 61. *A quo* (Bartholomaeo Facio) *quidem & res a ſe geſtas perſcribi cupide appetivit*, eoque conſilio a Rege accitum tradit Jovius in Elogiis. Hanc quoque curam publice Bartholomaeo datam fuiſſe ſcribit Barbarus in litteris ad Facium Num. VII. pag. 90. *Venetiis XV. Kal. Septemb.* 1451. Et Facius in Epiſt ad Barbarum Num. VIII. pag. 94. *Quod mihi ob id gratularis, quia mihi datum ſit negotium ſcribendi res ab Alphonſo Rege geſtas &c.* In Epiſt. *ad Franciſcum Raimum* hoc opus ejus diligentia incoeptum tradit. *Nam quod*, inquit pag. 89. Epiſt. VI., *me hortaris, ut proſequar opus tua diligentia incoeptum, facis amice, & pro officio. Tuarum enim partium videtur eſſe, quem ad incipiendam opus incitaſti, eumdem ad perficiendum adhortari* Putabant nonnulli vitam Alphonſi Regis a Bartholomaeo fuiſſe elucubratam, inter quos eſt Franciſcus Barbarus Epiſt. VII. ad Facium pag 90. *Significavit mihi* (Antonius Panormita)

cu-

curam tibi publice datam eſſe ſcribendi vitam illius Regis &c. Sed res a Rege geſtas, non vitam ſibi propoſuiſſe reſpondet Epiſt. VIII. pag. 95. *Sed quoniam videris putare Regis vitam a me ſcribi &c. ſcito me non vitam ejus, ſed res a ſe geſtas ſcribere propoſuiſſe.* Initium proemii horum decem librorum ita ſe habet: *Bartholomaei Facii in libros decem Commentariorum de rebus geſtis ab Alphonſo primo Neapolitano Rege praefatio. Etſi nonnullos viros haec aetas tulit &c.* Sequitur deinde: *Bartholomaei Facii rerum geſtarum Alphonſi Regis liber primus.* Incipit: *Martinus Quintus Pontifex Maximus is, qui ſacroſanctam Poteſtatem Pontificiam tyrannorum quorumdam ſcelere prope everſam reſtituit, quum Florentiae degeret, Braccii Montonii injuriis laceſſitus &c.* Hanc hiſtoriam primus edidit Joannes Michael Brutus Lugduni in 4. apud heredes Sebaſtiani Gryphii 1560., & denuo an. 1562. emendatiorem ita inſcriptam. *Bartholomaei Facii de rebus geſtis ab Alphonſo primo Neapolitanorum Rege Commentariorum libri decem Jo: Michaelis Bruti opera denuo in lucem editi, ac ſummo ſtudio vetuſtiſſimis collatis exemplaribus emendati. His acceſſere Fran. Contar. V. C. de rebus in Hetruria geſtis Comment. Libri tres. Lugduni apud Haeredes Sebaſt. Gryphii* 1562. in 4. In editione anni 1560. legitur epiſtola Antonii Gryphii, in qua ſcribit nonnulla a Michaele Bruto correcta, & mutata in hiſce hiſtoriarum libris fuiſſe. Ex epiſtola Jo. Michaelis Bruti ad Albericum Cibum Malaſpinam elicitur hunc Maſſae, & Carrariae Principem primum curaſſe, ut illi decem libri de geſtis Alphonſi Regis in lucem ederentur. Franciſcus Philoponus inſcius duarum Lugdunenſium editionum ſeptem primos libros edidit Mantuae anno 1563. Tertiam Lugdunenſem anni 1566. memorat Niceronus Tom. XXI. Memor. pag. 320. Poſt Franciſci Guicciardini hiſtoriam ex Italico in latinum

traductam, & a Caelio Secundo Curione editam Baſileae 1566. fol. recuſi fuerunt hi decem libri ante *Joannis Joviani Pontani de Ferdinando primo Rege Neapolitano Alphonſi filio libros ſex*. Italice pariter traducta fuit a Jacobo Mauro, impreſſaque Venetiis 1580. Exſtat etiam latine Tom. IX. Parte III. Theſauri Hiſtor. Italiae, Neapolis, & Magnae Graeciae col. 2. ſeq &c. Praeter ea loca a nobis ſuperius indicata, in quibus horum decem librorum mentio fit, etiam in limine hujus opuſculi *de Viris Illuſtribus* illius meminit his verbis Facius: *Quum ab hiſtoriae componendae diuturnis laboribus aliquando requieſcerem abſolutis libris decem Alphonſi Regis &c.* Et in litteris ad Franciſcum Barbarum Num. VIII. Ex Neapoli 26. Septembris 1451. pag. 96. hujuſce editionis. *Libros ſeptem* (Commentariorum) *jam edidi, quibus continentur, quae Rex geſſit a primo ejus in Italiam adventu uſque ad eum diem, quo triumphum egit. Nunc bellum Picenum in manu eſt. Poſt Florentinum aggrediar &c.* In epiſtola vero ad Poggium Num. XIII. pag. 104. *Quod autem ſcire expetis de rebus meis, ſcito decimum librum rerum a Rege geſtarum mihi nunc in manu eſſe, qui liber omnia continebit, quae uſque in hunc diem ab eo facta, vel per Duces ſuos adminiſtrata ſunt, qui decimus liber huic operi modum imponit.* Haec ultima Auctoris noſtri verba rejiciunt errorem Leandri Alberti, qui in Deſcript. Italiae pag. 18. duodecim libros de geſtis Alphonſi a Facio elucubratos fuiſſe perperam ſcribit. Paulus Corteſius de *Hominibus doctis* pag. 30. *Ex his Facius Commentarios ſcripſit rerum ab Alphonſo Rege geſtarum*. Franciſcus Barbarus in litteris ad Barbonum Mauroecenum pag. 245. editionis elegantiſſimae ab Eminentiſſimo Quirino Purpuratorum Patrum grandi ſplendore recens editae: *Clariſſimo Viro Antonio Panormitae ſalu-*

ſalutem dic , & illum roga , ut ſicut mihi coram promiſit , hiſtoriam ad me mittat , quam diſertiſſimus Bartholomaeus Facius ſcripſit de rebus geſtis a Rege Alphonſo . Facium in deſcribendis rebus ab Alphonſo geſtis imitatum fuiſſe C. Caeſarem innuit Aeneas Piccolomineus in notis ad librum II. Panormitae *de dictis , & factis Alphonſi Regis §. 13. Bartholomaeum Facium , qui geſta Regis ſcribit , non miror imitatum eſſe in genere dicendi C. Caeſarem , quando ejus Commentarii Regi tantopere placent .* Quod quidem ab aliis recentioribus obſervatum fuit. Folieta in Elogiis Cl. Ligurum: *Facius vitam , & res geſtas Alphonſi conſcripſit* , quod unum, idemque eſt.

VII. *Bartholomaei Facii ad Carolum Vintimilium Virum Clariſſimum de Origine belli inter Gallos , & Britannos hiſtoria .* Incipit Prologus: *Quod me rogaſti Carole generoſe .* Hiſtoria vero: *Diuturnum , atque atrox inter Gallos &c.* Hujus meminit Gaddius de Scriptoribus non Eccl. pag. 183. , ubi teſtatur eamdem adſervari in Bibl. Gaddiana Num. 48. De eadem quoque tractat in appendice ad primum volumen , ut obſervavit Apoſtolus Zenus Tom. IX. Ephemerid. Venet. Art. III. pag. 192. , ubi ait eam a ſe viſam in Bibl. Saibantis Veronae in membrana ſcriptam . Edita fuit a Camuſato in Append. ad Bibl. Ciacconii pag. 883. ſeq. Vide Niceronum Tom. XXI. Memor. , ubi perperam pro *Britannos* excuſum eſt *Hiſpanos* . Conſule Fabricium Tom. II. Bibl. med. , & infimae aetatis Lib. VI. pag. 429. Ex verbis Facii a Gaddio in Append. ad Tom. I. prolatis eruitur hiſtoriam hanc ab indocto homine inepte, atque inconditè ſcriptam , a Facio latinam fuiſſe redditam , & in aliquibus correctam.

VIII. *Bartholomaei Facii de Viris aevi ſui illuſtribus liber nunc primum ex MS. Codice in lucem erutus . Recenſuit , praefationem , vitamque auctoris addidit Laurentius Mehus Etruſcae Academiae Cortonenſis Socius , &c.*

Florentiae anno 1745. *Ex Typographio Joannis Pauli Giovannelli*. Supra in proemio hujus opuſculi a me nunc primum in lucem producti probavi compoſitum ab Auctore noſtro fuiſſe anno 1456. ſcilicet poſt abſolutos libros decem Alphonſi Regis. Animadverſum quoque a me fuit de hominibus non tantum in litteris, ſed in unoquoque etiam genere aetate ſua illuſtribus in eo tractari, memoratumque fuiſſe non ſolum a Facio, ſed etiam ab Aenea Cardinale Senenſi, Apoſtolo Zeno, Joanne Alberto Fabricio, Eminentiſſimo Quirino, & ab Oldoino, qui in Atheneo Liguſtico pag. 92. *Virorum ſuo aevo illuſtrium narrationem* hunc libellum nuncupat. Praetereundum tamen non eſt pag. XV. ejusdem proemii perperam errore typographico impreſſum eſſe, Apoſtolum Zenum, Fabriciumque de hoc opuſculo tractantes meminiſſe unius epiſtolae ab Aenea ad Facium ſcriptae, quum dicendum fuerit commemoratam a Cl. Viris fuiſſe utriuſque epiſtolam, in qua de hoc opuſculo tractatur. Vide Tom IX. Ephemeridum Venetarum Art. III. pag. 193.

IX. *Arriani Nicomedienſis novi Xenophontis appellati de Rebus geſtis Alexandri Magni Regis Macedonum libri octo ſumma diligentia ad graecum exemplar emendati, & innumeris, quibus antea ſcatebant, mendis repurgati Bartholomaeo Facio viro doctiſſimo interprete*. Putabat Thadaeus Ugoletus hanc verſionem non a Facio, ſed a Nicolao Sagundino factam fuiſſe. Hoc ſcribit Alexander Gabuardus Turcellanus in epiſtola ad Thomam Plovatatium Patricium Conſtantinopolitanum data Piſauri MDVIII. Eid. Junii: *Thadaeus ille Ugoletus Parmenſis vir in utraque pagina doctiſſimus me ſuis litteris admonuit legiſſe ſe alicubi Arriani interpretationem a Nicolao Sagundino factitatam fuiſſe*. At legerit fortaſſe Ugoletus, Bartholomaeum Facium ab eodem Sagundino in Arriano vertendo adjutum fuiſſe,

quod

quod quidem Jacobus Curulus Genuenſis auctor ſynchronus, Faciique amiciſſimus teſtatur in epiſtola ad Arnaldum Fenoledam Equitem Hiſpanum Virum Cl., atque ornatiſſimum: *Affui ego* (inquit) *una ſaepius, quum Nicolaum Sagondinum, & Theodorum Theſſalonicenſem viros ſummos, & Graecarum, litterarumque Latinarum eruditiſſimos conveniret, & ab illis multarum rerum, quae Latinis obſcuriora videbantur, explanationem exquireret, quae Vergerius abſurde tranſtuliſſet, hique Arrianum multis laudibus efferrent &c.* Poſt Commentaria de rebus ab Alphonſo geſtis hanc Arriani ex Graeco verſionem aggreſſum eſſe nos edocet ipſemet in proemio ad Alphonſum Regem: *Juvabit me quidem duorum maximorum, & opulentiſſimorum aetatis ſuae Regum, omniſque memoriae facile Principum alterius facta celebraſſe, alterius res graece ſcriptas latinas effeciſſe &c.* Item libellum *de Viris illuſtribus* ante Arriani verſionem explicitum fuiſſe ex eo conſtat, quod pag. 8. de Petro Paulo Vergerio, ejuſque verſione, quam de Arriano fecerat, tractans, haec habet: *Sigiſmundi Imperatoris, ut ipſe ſcribit, rogatu Arrianum, qui res geſtas Alexandri graece ſcripſit, e graeco in latinum vertit nulla tamen elegantiae cura adhibita, idque de induſtria, ut ſcribit, ne Sigiſmundus, qui parum latine ſciret, interpretis opera legens indigeret.* Ubi vides non meminiſſe ſuae verſionis, quam non omiſiſſet, ſi eam jam elaboraſſet. Nam in Jannotio Manetto pag. 19. commemorat libellum ſuum *de Excellentia hominis*, quod ante opuſculum *de Viris Illuſtribus* elucubraverat. Juſſu Regis Alphonſi, vel potius hortatu hanc verſionem incoepit Facius: *In quo* (ſequitur Facius in proemio ad eamdem verſionem) *ſi tibi Alphonſe, & ceteris doctis hominibus ſatisfecero, hoc tibi Alexander merito debebit, quod Arrianus ſuus, qui prius tantummodo*

grae-

Graecus erat, nunc etiam tuo hortatu latinus factus eſt. Sed quomodo res ſe ſe habuerit, ab Auctore noſtro percipiamus. *Itaque* (inquit in eodem proemio) *cum ad manus meas perveniſſet Arriani ipſius traductio quaedam non ſatis latina, neque Alexandri nomine, gloriaque digna, novae compoſitionis laborem aſſumere libuit. Nec vero eſt, quod Petrum Paulum Vergerium ejus traductionis auctorem vituperem, quem unum ex doctis, & eloquentibus viris aetatis noſtrae fuiſſe ſatis ſcio. Nam pro ſua eloquentia, ut puto, ſi voluiſſet, & ornate, & commode hanc hiſtoriam, quemadmodum cetera, quae latine compoſuit, interpretari, ac tractare potuiſſet. Ceterum ut a Sigiſmundo Imperatore Romano, qui parum doctus erat, ſine cujuſpiam adjumento poſſet intelligi (ſic enim ab eo ſcriptum reperi) hanc hiſtoriam ita inculte de induſtria traduxit. Sed ut ille Sigiſmundi voluntati, qui exiguam Grammaticae, nullam eloquentiae cognitionem haberet, gerere morem ſtuduit, ſic ego tentare volui, an hic noſter labor Alphonſo Regi &c.* Rem altius repetit Jacobus Curulus Genuenſis in epiſtola ad Arnaldum Fenoledam Equitem Hiſpanum, cujus verba nunc producam: *Inter quos* (viros Litteratos) *vidimus Aeneam Senenſem Praeſulem, qui poſtea Pius Summus Pontifex effectus eſt. Is quum apud Regem Legationis munere fungeretur, videretque Regem tantopere libris affectum, in Germaniam rediens miſit ad eum traductionem quamdam Arriani Graeci rerum geſtarum Alexandri ſcriptoris veriſſimi, quem Paulus Vergerius vir doctiſſimus, & alioqui eloquentiſſimus in latinum verterat, ſed barbare, quo Sigiſmundus Romanorum Imperator, apud quem illa tempeſtate diverſabatur, poſſet hiſtoriam intelligere, qui a dicendi ſuavitate, & elegantia penitus abhorreret. Is liber quum ad Regem noſtrum fuiſſet perlatus, omnes, qui litteras profitebamur, magno cum deſiderio illum legere incoepimus.*

Ve-

Verum orationis inconcinnitas plures a legendo deterrebat. At Rex ſapientiſſimus cognito libri vitio continuo Facium voluit pro ejus dicendi facilitate, & ornatu negocium ſumere ex barbaro latinum faciendi, quod juſſu Regio, & ſuaſu modo praeſtare baudquaquam recuſavit. Mihi etenim indignum videbatur adeo ſingularem, adeo praeſtantem, & veram biſtoriam adeo negligenter deperire. Ille autem tanto ſtudio ſuſceptum negotium amplexus eſt, ut in eo annis circiter tribus dies, & noctes incubuerit, ſummaque diligentia elaborarit &c. Huic verſioni praecedit: *Bartbolomaei Facii in libros Arriani rerum geſtarum Alexandri Regis ad Alphonſum Regem Aragonum Praefatio.* Incipit: *Multi, Alphonſe Rex glorioſiſſime, Alexandri Regis Macedonis rerum Scriptores fuere &c.* Initium verſionis hujuſmodi eſt: *Ex omnibus rerum Alexandri Scriptoribus &c.*, editioque, quam prae manibus habeo, edita fuit Baſileae *in officina Roberti Winter menſe Martio* anno MDXXXIX. in 8. Nonnulla quoque ex Arriani Libro primo *Bartbolomaeo Facio interprete* impreſſa fuere cum Aeliano Tigurino fol. *per Andream Geſnerum F., & Jacobum Geſnerum fratres* nempe a pag. 613. ad 621. Niceronus Tom. XXI. Memor. pag. 319 ex Apoſtolo Zeno Tom. IX. Ephemeridum Venetarum Art. III. commemorat editionem Piſaurienſem anni 1508. impenſa Hieronymi de Soncino fol., Lugdunenſemque an. 1552. Hanc Arriani verſionem a Facio compoſitam acerrime exagitat Bonaventura Vulcanius in Arriani edit. Graec. Lat. excuſa anno 1575. ab Henrico Stephano fol. Nam in epiſtola ad Thomam Redigerum Sileſium pag. 2. Facium noſtrum *Aſinum* appellat, doletque *Arrianum in ejuſcemodi graſſatoris manus incidiſſe, qui eum omni ornatu exutum adeo pannoſum, lacerumque nobis objecerit.* Animadvertit inſuper *paſſim quamplurima de ſuo addidiſſe,*

quam-

quamplurima ſumma quadam confidentia dempſiſſe, temere innumera pulcherrime ab Arriano dicta truncaſſe, conciſeque tranſtuliſſe, in aliis ſexcentis locis a ſe non intellectis turpiſſime lapſum eſſe, ut alibi Arriani paraphraſim, alibi epitomen te legere putes, alibi ipſum Arrianum non agnoſcas. Haec, aliaque his ſimilia Vulcanius. Sed iniquiſſimam eſſe ejusdem cenſuram nos oſtendiſſe putabimus, quum demonſtrabimus Arriani verſionem a Facio compoſitam opus poſthumum fuiſſe. Id nos docet Jacobus Curulus in ea, quam ſupra memoravimus, epiſtola ad Arnaldum Fenoledam his verbis. *Itaque hiſtoriam ipſam latinam, & ſuaviſſimam reddidit Facius noſter, cujus tamen quum quartam vix partem preſſiſſet, reliquis tribus nondum ſatis elimatis morte praeventus opus multis lituris abolitum, & vulneribus paene confoſſum reliquit. Quod vivens Alphonſus Rex haud multo antequam & ipſe mortem obiret, recuperavit, ut aliquando tandem qualicumque modo reſtitueretur. Nunc autem Rege vita functo, quum eſſem, ut ſcis, Facio perfamiliaris, ſcriptaque ſua, ut profecto magni facienda ſunt, magnifacerem, & admirarer, non ſum paſſus hanc tantam hiſtoriam, ſimulque hominis amiciſſimi ingentes labores, & vigilias deperire. Itaque quum tibi hanc a Rege relictam hereditatem viderem, ut libros vehementer, & litteras adamares, librum paene extinctum in tui gratiam reſtituere curavi, & ut potui, emendatum exſcripſi, ut hiſtoriam notione digniſſimam cognoſcere poſſis.* Vides verſionem imperfectam a Facio relictam fuiſſe, ac a Rege recuperatam, ut qualicumque modo reſtitueretur. Tandem mortuo Alphonſo, ope Curuli emendatam, reſtitutamque, atque exſcriptam ab eodem Curulo fuiſſe.

X. *Bartholomaei Facii epiſtolae.* De his, ſuperioribuſque Facii operibus aliter inſcriptis ſupra ad calcem proemii plura diximus.

BAR-

BARTHOLOMAEI
F A C I I
DE VIRIS ILLUSTRIBUS
LIBER.

CUm ab hiſtoriae componendae diuturnis laboribus aliquando requieſcerem abſolutis libris decem Alphonſi Regis, nec poſſem pro ingenio meo nihil agere, ne deſidiae reprehenſionem incurrerem, aliquid hoc tempore ſcribere inſtitui, quod & faſtidium levaret, & noſtri ſeculi hominibus probari poſſe videretur. Ex multis autem, quae mihi occurrebant digna, quae poſteritati mandarentur, illud prae caeteris jucundum fore exiſtimavi, ſi de illuſtribus Viris aetatis, memoriaeque noſtrae ſcriberem. In quo illud ſaltem aſſequi me poſſe

Digitized by Google

arbitratus ſum, quod in ejuſmodi Viris celebrandis multorum mihi mortalium gratiam compararem. Habet enim in ſe non parum voluptatis, ac fructus clarorum hominum cognitio, quorum exempla animos natura bene conſtitutos, quaſi ſtimuli quidam ad decus, ad honeſtatem, ad gloriam concitant. Nam cum illorum nomen immortale factum alienis ſcriptis vident, & ipſi toto ſtudio, ac nixu virtuti incumbunt, quo immortalem gloriam conſequantur. Accedit eodem, quod cum nobis veterum exempla proponimus, ſubit animus deſperatio quaedam, ne eorum gloriam adaequare valeamus, cum plane illos veluti Numina quaedam habeamus, atque admiremur: uſque adeo à ſcriptoribus celebrati, atque illuſtrati ſunt. Praeſentes autem, etiamſi excellentes, magnificique fuerint, quoniam in oculis noſtris obverſantur, nobis non omnino auferre ſpem videntur, quin jis vel virtute, vel gloria pares eſſe valeamus. Admirari autem ſoleo, cur ex tot ſeculis tam pauci de illuſtribus Viris ſcripſerint, cum quidem ſingulis aetatibus aliqui ſcriptores extitiſſe debuerint, qui eos Viros, qui ſua aetate in aliqua arte, aut ſtudio excelluerunt, literarum monumentis commendarent, ut ſingularum aetatum praeſtantiſſimos quoſque Viros ſcire poſſemus. Neque verò unquam ulla aetas adeo inculta, atque virtutum expers fuit, quin aliqui praeclari, atque praeſtantes Viri in ea extiterint. Sed quoniam caruerunt diſertorum hominum praeconio, propterea illorum nomen una cum vita finitum eſt. Meum verò inſtitutum fuit de cujuſque facultatis, atque ordinis Viris claris memorare, qui tempeſtate mea claruerunt. Quod ſi fortaſſe quempiam per oblivionem, vel per inſcientiam omiſero, ne ſit quaeſo, qui mihi ſuccenſeat. Poſt enim, ubi commeminero, vel admonitus fuero, in alterum librum conferetur. Ego tamen neque dignitatem, ne-

neque excellentiam hominum in ſuo genere in iis commemorandis obſervabo, ſed ut quiſque mihi prior occurrerit, ita a me literis mandabitur. Unum illud curae fuerit, ut de ſingulis quibuſque ordinibus, ac generibus ſeorſim ſcribam. Sic enim res, ut opinor, fiet cognitu jucundior. A Poetis vero, quoniam ii antiquiſſimi, & ante Oratores fuiſſe traduntur, ſcribere ordiar. Deinceps ad Oratores, ac caeteros ordines veniam.

ANTONIUS LUSCUS

VICENTINUS.

ANtonius Luſcus Vicentinus heroico verſu epiſtolas, atque epigrammata complura edidit, quae poſtea collecta filius & ipſe doctiſſimus in octo libros digeſſit. Soluta quoque oratione adornata eloquentiae operam dedit. Scripſit in undecim Ciceronis orationes opus utile, ac vel doctis probatum. Scripſit item exempla quaedam, & veluti formulas, quibus Romana Curia in ſcribendo uteretur, quae etiam ab eruditiſſimis Viris in uſum recepta ſunt. Romam profectus in magna ſui expectatione à Gregorio P. M. in Secretariorum Collegium admiſſus eſt. Ad multam ſenectutem vixit, nec unquam à poeticae ſtudio ceſſavit.

ANTONIUS PANORMITA.

ANtonius Panormita in hoc genere clarus habetur. Allectus ab adoleſcentia poeticae, atque oratoriae ſuavitate, omiſſis legibus, illarum rerum ſtudiis incubuit. In utro magis excelluerit, non facile judices. Res geſtas omnes antiquitatis memoria tenet. Luſit in Hermaphrodito Virgilii exemplo. Eodem ferme tempore ſcripſit in Antonium Raudenſem ab eo laceſſitus libellum elegiaco versu, quem inſcripſit Rhodum, & item poematum, ac proſarum libros duos. Epigrammata quoque multa, & epiſtolas versu pulcherrimas edidit. Elegiam, quae perdju jacuerat, rurſus in lucem excitavit. A Sigiſmundo Imperatore in Italiam profecto Poeta comprobatus laurea corona veteri more repetito donatus eſt. Non temere alius quiſpiam aliena in dicendo vitia, aut virtutes acrius animadvertit, quod ei aliquando a Leonardo Arretino doctiſſimo viro in praecipuam laudem tributum eſt. Alphonsi Regis, qui eo doctore perdju uſus eſt, atque utitur, dicta, factaque memoratu digna quatuor libris explicuit. Permagnum librorum numerum ex omni bonarum artium facultate congeſſit. Legationibus, ac ſummis honoribus Regis functus, quibuſcumque Viris doctis, & probis poteſt, enixiſſime ſemper favit, ac favet.

FRAN-

FRANCISCUS PHILELPHUS TOLENTINAS.

Franciſcus Philelphus Tolentinas latinis, & graecis literis eruditus ſatyras centum ſcripſit, dedicavitque Alphonſo Regi, a quo ob eam rem & multa pecunia, & equeſtri dignitate donatus eſt. Lyricorum quoque verſuum grande opus magno impetu aggreſſus. A Franciſco Sfortia Mediolanenſium Principe conductus res ab eo geſtas heroico carmine complexus eſt. Scripſit etiam proſa oratione ſympoſium quoddam, ac de exilio libros tres. Orationes praeterea invectivas pleraſque. Lacedaemoniorum Rempublicam ex Xenophonte, Numae Pompilii, ac Licurgi vitas, & Apophthegmata ex Plutarcho in latinam linguam convertit.

MARRASIUS SICULUS.

Marraſius quoque Siculus nonnulla ingenioſi poetae indicia edidit. Angelinetum poema amatorium elegiaco verſu compoſuit. Leonardi Arretini laudes carmine cecinit, fuiſſetque in hoc genere major evaſurus, ſi poeticae ſtudia perſecutus eſſet. Sed medicinae deditus, ac deinde Sacerdos factus ab eo ſtudio diſceſſit.

TI.

Digitized by Google

TITUS STROCIUS
FLORENTINUS.

TITI quoque Strozae Florentini nobilis adoleſcentis initia ſingularem quemdam Poetam nobis pollicentur. Cum ad proſam, & carmen natura aptus eſſet, elego carmine delectatus epiſtolarum librum de re amatoria elegantem compoſuit. Epigrammata quoque multa edidit, quae ab eruditis Viris laudantur.

JOVIANUS PONTANUS.

SUccreſcit aetati noſtrae Jovianus Pontanus ex ea familia ortus, quae prope omnis ad poeticam nata eſt. Literarum latinarum doctiſſimus ſoluta oratione, ſed magis carmine commendatur. Lyrico versu Catullum imitatus epigrammata quaedam praeclare conſcripſit. Aſtrologiam opus multi laboris, atque ingenii hexametris verſibus exorſus eſt. Ab adoleſcentibus quibusdam humanitatis ſtudia ingredi cupientibus rogatus ludum aperuit. Propter doctrinae, ac virtutis opinionem ab Alphonſo Rege in Johannis nepotis ſui Navarrae Regis filii permagnae ſpei adoleſcentuli praeceptorem adſcitus eſt.

DE

DE ORATORIBUS.

A Poetis ad Oratores tranſgrediar. His enim maxime cum poetis illa cognatio, atque affinitas eſt, quod utrique circa vim, ac proprietatem verborum prope aeque deſudant, & quod Poeta, niſi dicendi rationem teneat, jejunus, atque ineptus in concionibus videatur. Saepe enim in poemate orationes incidunt neceſſariae vel ad concitandos, vel ad deprimendos animorum motus, ut ad varios affectus permovendos, quibus in rebus, quanta ſit vis oratoris, dignoſcitur. Sed oratorum ſemper utique major numerus, quam poetarum fuit, quod liberioribus adſtricta numeris illorum dictio eſt, atque ideo contextu facilior. Quamquam ſi tria genera cauſarum perſequeremur, quae antiqui oratores tractare conſueverunt, fortaſse non minus admirandus orator, quam poeta videretur. Sed ex tribus generibus unum modo oratoribus noſtris relictum eſt. Nam & judiciale totum jureconſultorum eſt, & deliberativum omiſimus. Neque enim amplius in Senatu, aut apud Principes eo utimur, ſed vulgari ſermone aut ſuadere, aut diſſuadere aliquid nitimur. Caeterum omiſſa longiori diſputatione de jis auctoribus, qui temporibus noſtris floruerunt, ſcribere perſequar.

MA-

MANUEL CHRYSOLORA
CONSTANTINOPOLITANUS.

MAnuel Chryſolora Conſtantinopolitanus literas graecas, quae jam ſupra ſeptingentos ferme annos in Italia obſoleverant, primus ad Latinos ex Graecia reportavit. Venetiis, Romae, Florentiae graecis literis quamplures erudivit litterarum quoque latinarum non ignarus. Platonis Politicorum libros, ut potuit, primus latinos fecit, quo divini illius Philoſophi ſapientiam noſtris oſtenderet. Magnam apud Italicos auctoritatem propter ſapientiae famam adeptus, & ob id ad Conſtantienſe Concilium à Joanne, qui tum erat Pontifex Maximus, a quo diligebatur, evocatus, in morbum incidit, quo affectus jam grandis natu mortem obiit.

PETRUS PAULUS VERGERIUS

PEtrus Paulus Vergerius Juſtinopolitanus Juris Civilis in primis peritus fuit. Philoſophiam quoque, & Mathematicas artes tenuit. Eloquentiam ſummo ſtudio ſecutus in ea re excelluit. Graecas quoque literas attigit. Scripſit de ingenuis moribus librum unum valde laudatum tum rebus, tum ipſo nitore verborum. Sigiſmundi Imperatoris, ut ipſe ſcribit, rogatu Arrianum, qui res geſtas Alexandri graece ſcripſit, e graeco in latinum vertit nulla tamen elegantiae cura adhibita, idque de induſtria, ut ſcri-

ſcribit, ne Sigiſmundus, qui parum latine ſciret, interpretis opera legens indigeret. Carolum Malateſtam inveſtus, Virgilii ſtatua, quam ille Mantuae in foro everterat, quoniam gentilis fuiſſet, ut ibidem reſtitueretur, effecit. Sub extremum vitae tempus mente captus eſt, ita tamen, ut nonnunquam reſipiſceret. Apud Hungaros vitam finiit dignus & perpetua animi ſanitate, & qui totam in Italia vitam ſcribens exegiſſet.

JACOBUS ANGELUS

FLORENTINUS.

JAcobus Angelus Florentinus ex Chryſolorae ſchola utriuſque linguae peritus fuit. Ptolemaeum Coſmographum e graeco in latinum traduxit. Pompeii, ac Bruti vitas a Plutarcho ſcriptas latinas reddidit. Alia putatur fuiſſe ſcripturus, vel traducturus, niſi eum in ipſo juventae flore immatura mors oppreſſiſſet.

LEONARDUS ARRETINUS.

LEonardus Arretinus Graecis, ac Latinis literis in primis eruditus, nec Juris quoque civilis expers fuit. Caeteras artes non aſpernatus eloquentiae ſeſe dedit. Poetarum quoque amator fuit. In Graecis literis Chryſolorae auditor multa ſcripſit, plura etiam Graeca Latina fecit,

cit, nec fere alius quiſquam noſtri temporis aeque multa monumenta induſtriae ſuae reliquit. Prima enim traductio Baſilius fuit, quem Colucio Salutato ſtudiorum ſuorum adjutori dicavit, ex quo magnam ſibi laudem eloquentiae peperit. Ex Demoſthene orationes duas pro Corona, et alias octo in latinum tranſtulit. Rerum Florentinarum libros decem ſcripſit valde probatos. Scripſit & in hypocritas, & item de bello Italico, de origine Urbis Mantuae, de militia, de laudibus Urbis Florentiae. Orationem quandam etiam pro ſe ipſo ſcriptam reliquit. Ariſtotelis Ethicorum, Politicorum, & Oeconomicorum libros denuo traduxit, ac latinos, cum prius ſemibarbari eſſent, reddidit. Marci Antonii, Caii Sertorii, Marci Catonis Uticenſis, Tiberii, & Caii Gracchorum, Pirri Regis, Demoſthenis, ac Pauli Aemilii vitas ex Plutarcho in latinum convertit. Ariſtotelis, & Marci Ciceronis vitas ex variis auctoribus ſumptas compoſuit. Ex Platone Critonem, Phaedonem, Gorgiam, & epiſtolas nonnullas tranſtulit. Scripſit de literis, ac ſtudiis ad Baptiſtam Malateſtam matronam nobilem: Iſagogicon moralis diſciplinae, de recta interpretatione. Ejuſdem eſt oratio in nebulonem maledicum; Laudatio Joannis Strozae Florentini, ac Dialogorum liber. Apud Pontifices Maximos diu Romae magno in honore fuit. Demum in Cancellarium Reipublicae a Florentinis receptus eum honorem, dum vixit, perpetuo geſſit.

AM-

Digitized by Google

AMBROSIUS MONACHUS FLORENTINUS.

AMbroſius Monachus Florentinus eloquentia clariut. Literarum Graecarum doctus Chryſoſtomum in vituperatores vitae Monaſticae, & alia quaedam ejuſdem opera latina reddidit. Diogenem Laertium Philoſophorum quamplurium vitas, & egregia dicta memorantem e Graeco in Latinum convertit. In Baſileenſi Concilio, quo aliquando profectus eſt ſuperioris juſſu, aliquot graves orationes habuit, ex quibus magnam laudem adeptus eſt. Ob haec, ſed vel maxime propter vitae puritatem totius Ordinis ſui Praeſes creatus eſt.

NICOLAUS NICOLUS FLORENTINUS.

NIcolaus Nicolus Florentinus & ipſe Chryſolorae auditor in hujuſcemodi virorum notis referendus eſt. Graecae, & latinae linguae, omniſque antiquitatis ſtudioſus picturam, ſtatuariam, ac veterem elementorum formam, caeteraſque artes nobiles, quae vel ingenio, vel manu artificum commendantur, quae jamdju apud nos conſenuerant, in uſum revocavit. Librorum quoque exornandorum inventor, operum Ciceronis, & aliorum illuſtrium Auctorum diligentiſſimus inquiſitor fuit. Librorum magnam copiam tum Graecorum, tum latinorum

cujuſcumque artis, & doctrinae comparavit. Nihil tamen latine, aut graece ſcripſit ſcriptis veterum contentus. Moriens Bibliothecae, quae erat in Marci Evangeliſtae Templo, quam Coſmus Medices effecerat, libros ſuos, ut mortuus etiam viventibus prodeſſet, dedicavit.

CAROLUS ARRETINUS.

Carolus Arretinus latinae, ac graecae linguae doctiſſimus artem Rhetoricam pluribus annis Florentiae profeſſus eſt, pluſque temporis in docendo, quam in ſcribendo poſuit. Carmen etiam adamavit. Homeri Myobatrachomachiam traduxit verſu hexametro. Epiſtolas paucas admodum reliquit. Ob ſcientiae opinionem a Florentinis Cancellarius factus eum honorem geſſit, quoad in vita fuit.

LEONARDUS JUSTINIANUS.

Leonardus Juſtinianus Venetus in hoc numero honeſtiſſimum locum tenuit. Epiſtolas multas, & orationes, in quibus unam illam nobilem in Caroli Zeni funere a ſe habitam, ſcriptas reliquit. Philoſophorum quoque amator Graecorum veterum more ſtudijs ſuis muſicam addidit, nonnulliſque cantilenis amatorjis, ratione quoque cantus tradita, in juventa primum editis, eam ſcientiam jam ſenior ad Mariae Virginis laudes totam retulit. Ampliſſimos in Republica honores conſecutus, quotiens ei in Senatu dicendum fuit, (tanta erat ei in rebus, ac verbis

bis copia, tanta in pronunciando dignitas) ſine faſtidio prolixitatis audiebatur. Ex Plutarcho Ciceronis, & Luculli vitas in latinum tranſtulit. Divi Nicolai vitam ex graeco ſumptam magna diligentia latinam fecit.

BAPTISTA ALBERTUS

FLORENTINUS.

Baptiſta Albertus Florentinus non eloquens modo, verum & ad omnes reliquas liberales artes natus videtur. Eloquentiae, ac Philoſophiae Mathematicas addidit. Picturae ſtudioſus, ac doctus de artis ipſius principijs librum unum edidit. Scripſit & de Architectura libros duos, quos intercoenales inſcripſit. Inter Philoſophos tamen magis, quam inter Oratores numerandus.

VICTORINUS FELTRENSIS.

Victorinus Feltrenſis nobis inter hujuſmodi Viros celebrandus eſt. Latinae ſimul, & Graecae linguae doctus Philoſophiam amplexus eſt. Hiſce artibus Mathematicas adjunxit. Ad docendos adoleſcentes converſus rhetoricae Profeſſor multos erudivit, qui in claros viros evaſere. Hac gloria contentus omne ſtudium ſuum ad docendum, quam ad ſcribendum contulit. A Joanne Franciſco Gonzaga Mantuanorum Principe acceſitus ejus liberos erudivit, atque inſtituit.

N I-

Digitized by Google

NICOLAUS PEROTTUS

FANENSIS.

NIcolaum Perottum Fanenſem Victorino merito ſubjunxerim. Fuit enim ejus auditor, & vel unus ex ijs, qui apud illum judicio omnium magis profecerit. Latinis, ac graecis literis eruditus, atque in primis eloquens habetur. Ex Polybio hiſtorico de primo bello Punico libros quinque, ex Plutarcho de fortuna, vel virtute Alexandri libros duos, ex eodem de Fortuna Romanorum librum unum, de differentia inter odium, & invidiam librum alterum latinos reddidit. Ejusdem eſt traductio Magni Baſilii de invidia, Epicteti Enchiridion, Platonis liber de precatione, Hippocratis juramentum. Scripſit de arte metrica librum unum: de metris, quibus Horatius, & Boetius uſi ſunt, librum alterum. Epigrammatum item librum edidit.

GUINIFORTUS BARZISIUS.

GUinifortus Barziſius Gaſparini filius, & ipſe merito inter Oratores reponetur. Latina, ac graeca literatura ornatus inter diſertos numeratur. Philoſophia quoque excultus legum ſtudia ſecutus eſt. Propter haec idoneus viſus eſt Franciſco Sfortiae Mediolanenſium Principi, cui liberos ſuos erudiendos, formandoſque commendaret.

LEO-

LEODRISIUS CRIBELLUS.

Leodriſius Cribellus Mediolanenſis non parvum etiam in eloquentia nomen obtinet. Epiſtolis multis notus Franciſci Sfortiae res geſtas proſa oratione perſcripſit, quas in libros digeſſit.

FRANCISCUS ARRETINUS.

Franciſcus Arretinus utriuſque linguae peritia ſimul, & dicendi laude in hoc ordine numeratur. Phalaridis Tyranni epiſtolas, quas ille graece ſcriptas reliquit, latinas effecit. Ex Chryſoſtomo Homelias ſuper Joannem Apoſtolum, ex Origene Philocalia, ideſt floſculos quosdam traduxit. A Poetarum ſtudio non abhorrens epigrammatum librum edidit.

FRANCISCUS BARBARUS

VENETUS.

Franciſcus Barbarus Venetus latinis, ac graecis literis praeditus Philoſophiae quoque, & logicae operam dedit. Scripſit de re Uxoria librum unum. Epiſtolarum, in quibus ſcribendis multam curam adhibuit, libros aliquot reliquit. Traduxit ex Plutarcho Ariſtidis, & Cenſorii Ca-

tonis

tonis vitas. Omnes in Republica Veneta honores ſummos eſt conſecutus, legationibus multis honeſtiſſimis aditis non ſolum pacis, ſed etiam belli muneribus.

ANTONIUS CASSARINUS.

ANtonius Caſſarinus Siculus latinis literis, ac graecis eruditus artem Rhetoricam aliquot annis Genuae profeſſus eſt. Politicos Platonis libros, quoniam non ſatis latini ſibi videbantur, neque digni, ut ajebat, Platonis eloquentia, novo labore aſſumpto latiniores fecit. Tamen morte praeventus emendare non valuit, quem librum Alphonſo Regi dicavit. Sympoſium ſeptem Sapientum e graeco in latinum convertit ex Plutarcho ſumptum: Axiochum de morte ex Platone, quem Jacobo Curto familiari ſuo docto homini dedicavit. Tranſtulit quoque haec ex Plutarcho, Apophthegmatum videlicet libros duos, & item quomodo quis ſine reprehenſione laudare ſe poſſit: quomodo amicus ab adulatore dignoſcatur: quae utilitas ex inimicis capiatur, de moderanda ira, cumque plura adhuc traducturus videretur, e vita conceſſit.

32

POGGIUS

FLORENTINUS.

POggius Florentinus in hoc numero eloquentium Virorum ſingulare nomen obtinet. Scripſit de nobilitate, de avaritia, de Principum infelicitate, de moribus Indorum, facetiarum quoque librum unum. Ab adverſarjis exagitatus orationes pleraſque invectivas edidit. In epiſtolis etiam laudatur. Cyripaediam, quam Xenophon ille ſcripſit, latinam reddidit, atque Alphonſo Regi dedicavit, pro qua a Rege magnam mercedem accepit. Ejuſdem eſt traductio Diodori Siculi hiſtoriographi ad Nicolaum Quintum Pontificem Maximum libri ſex. Ingraveſcente aetate a Florentinis accitus mortuo Carolo Arretino in Reipublicae Cancellarium, quod honor apud Florentinos magnus habetur, ſuſceptus eſt.

GUARINUS

VERONENSIS.

GUarinus Veronenſis praeceptor meus latine, ac graece juxta doctus non ſoluta modo oratione, ſed etiam carmine commendatur. Plutarchum de liberis educandis ex graeco latinum fecit. Caeſaris, & Alexandri vitas in latinum vertit ab eodem Plutarcho conſcriptas. Orationes complures a ſe habitas vel in amicorum funere,

Digitized by Google

vel in Magiſtratibus collaudandis edidit. Strabonem Coſmographum ex graeco in latinum vertit. Artem rhetoricam profitetur, qua in re ſupra quinque, & triginta annos ſeſe exercuit. Ab hoc uno plures docti, & eloquentes viri facti ſunt, quam a ceteris omnibus hujus ordinis, ut non immerito quidam de eo dixerit, quod de Iſocrate dictum ferunt, plures ex ejus ſchola viros eruditos, quam ex Equo Trojano milites prodjiſſe. Quum ex Leonardo Arretino aliquando quaeſitum eſſet, quem nam noſtrae tempeſtatis doctum virum exiſtimaret, unum ſibi Guarinum videri reſpondit. Ejus quoque praeſtantiae ſingulare teſtimonium eſt epigramma hoc nobile Antonii Panormitae editum ab illo, quum vita functum audiviſſet:

Quantum Romulidae ſanctum videre Catonem,
Quantum Cepheni volitantem Perſea Caelo,
Alciden Thebe pacantem viribus Orbem:
Tantum laeta ſuum vidit Verona Guarinum.

Nicolao Marchioni Eſtenſi, ac Leonello ejus filio, quem latinis, ac graecis litteris erudivit, percarus, ac perjucundus fuit.

JOANNES AURISPA

SICULUS.

JOannes Auriſpa Siculus & ipſe graece, ac latine doctus, atque eloquens habetur. Extant in hoc genere nonnulla ejus epigrammata. Hieroclem in Pythagorae carmina, quae aurea appellant, latinum reddidit. Apud Nicolaum Pontificem Secretarius in honore fuit. Ingentem librorum tum grae-

Digitized by Google

graecorum, tum latinorum numerum congeſſit. Epiſtolarum librum edidit. Opuſcula nonnulla Luciani, ac Xenophontis librum, qui Oeconomicus inſcribitur, in latinum traduxit, quem Cicero adoleſcens, ut ſcriptum reliquit, e graeco in latinum converterat.

JANNOTIUS MANETTUS

FLORENTINUS.

Jannotius Manettus Florentinus litterarum non latinarum tantum, & graecarum, ſed etiam Hebraicarum cognitione laudatur. Scripſit de Viris ſenioribus omnium ſuperiorum aetatum: de religione libros viginti quatuor. Scripſit item de dignitate hominis, quem librum Alphonſo Regi dedicavit, neſcius, ut ipſe ait, de eadem re me paulo ante licet alio titulo ſcripſiſſe. Sacrarum quoque litterarum amator a Nicolao Pontifice inter Secretarios, & ab Alphonſo Rege inter Conſiliarios receptus eſt.

JACOBUS BRACELLEUS

Jacobus Bracelleus conterraneus meus in hoc numero non in poſtremis cenſetur. Rerum antiquarum ſtudioſus, & doctus ſcripſit de ſitu Liguriae librum unum: item de bellis Januenſium cum Aragonum Regibus. Ob ingenii, doctrinaeque praeſtantiam a Januenſibus Cancellarius factus gran-

Digitized by Google

dem epiſtolarum numerum publico nomine ſcripſit, quae valde laudantur. Moderatione animi civibus meis carus, & jucundus.

BESSARION GRAECUS

BEſſarion Graecus Cardinalis graece, ac latine doctus, atque in primis eloquens Metaphyſicorum Ariſtotelis librum e graeco in latinum tranſtulit, effecitque, ut quum prius obſcurus, & impolitus eſſet, nunc denique clarus, ac latinus videatur. E Xenophonte Socratis dicta, factaque memoratu digna in latinam linguam convertit. Philoſophia quoque excultus Theologiam ſummo ſtudio amplexus eſt. Religione vitae, ac ſanctimonia Cardinalem dignitatem conſecutus.

GEORGIUS TRAPEZUNTIUS

NEc Georgius Trapezuntius nobis praetereundus eſt. Latinae linguae, ac graecae multam cognitionem habet. Artem rhetoricam Venetiis, ac Romae pluribus annis docuit. Nec modo rhetoricae, verum & mathematicarum artium doctus multa compoſuit, plura etiam ex Graecis traduxit. Scripſit compendium artis grammaticae ex Priſciano, Dialecticae praecepta, de ſuavi genere orationis, de conſolatione, de Spiritus Sancti proceſſione contra Graecos, librum Rhetoricorum, in orationem Q. Ligarii, in Almageſtum Ptolemaei, in Centiloquium ejusdem commentarios. Chryſoſtomum in Matthaei Evangelium in latinum vertit, Cyrillum in Evangelium

gelium Joannis, ejusdem Cyrilli Theſauros, Euſebium de Evangelica Praeparatione, Platonis leges, orationem Demoſthenis pro corona, Athanaſii, ac Baſilii vitas ex Gregorio Nazianzeno, ex Ariſtotele Rhetoricorum libros, ac Phyſicorum libros, de generatione, & corruptione, ex eodem Metheororum, ac Metaphyſicorum libros; Problemata de Caelo, & Mundo, de anima, de animalibus: ex Baſilio vero de vita Moyſis, de Spiritus Sancti proceſſione ad Amphilochium; librum in Eunomium. Eugenio, ac deinde Nicolao Pontificibus Maximis carus in Secretarium Apoſtolicum admiſſus eſt.

NICOLAUS SAGUNDINUS

CALCIDENSIS.

Nicolaus Sagundinus Calcidenſis in hoc coetu ſingulare nomen obtinet. Litterarum graecarum, ac latinarum ſcientia aeque clarus ſcripſit de latinae linguae, ac graecae cognatione, de origine, ac Sectis Philoſophorum. Scripſit item in Ariſtotelem, quod non tam amore veritatis, quam gloriae cupiditate Platonem impugnaverit, orationem ad Alphonſum Regem, de natura, ac moribus Mahometi Turcarum Principis, Urbis Athenienſium ſitum, epiſtolas pleraſque ad familiares. Orationes nonnullas Demoſthenis latinas fecit. Quaedam etiam graece non aſpernenda compoſuit. Onoſandrum de Imperatoris officio latinum reddidit. Florentino Concilio, quo ...[1] Graecorum Imperator Eugenio Pontifice Max. cum Graeciae Principibus Viris convenit, propter ſcientiae, ac probita-

1 Deeſt nomen Imperatoris, qui vocabatur *Joannes Palaeologus*.

[library stamp]

bitatis opinionem interpres delectus inter Graecos, ac Latinos argumenta ſingula, quae fuere prope innumerabilia, & varia pro rerum magnitudine, ac pondere utrinque prolata, vel confirmando, vel confutando ſtatim, ut erant enuntiata, ſine mora fideliſſime interpretabatur, idque hoc magis mirum viſum eſt, quod de recondita, atque intima Theologiae parte, ideſt de Spiritus Sancti proceſſione diſputatio habebatur. Cujus rei fama, adjuncta opinione bonitatis, a Venetis in Secretarium adſcitus eſt.

HIERONYMUS TIFERNAS

Hieronymus Tifernas Phyſicus latina ſimul, & graeca doctrina praeditus inſignis exiſtimatur: nec proſa ſolum oratione notus, ſed etiam carmine. Orationem habuit luculentam Ferrariae ad Fridericum Imperatorem de illius laudibus, ac funebrem ad Leonellum Ferrarienſem Principem litteratiſſimum de Mariae uxoris Alphonſi Regis filiae obitu. Alias etiam quamplurimas orationes, atque epiſtolas edidit. Omnis praeterea Philoſophiae doctus medicinae ſtudia perſecutus inter Medicos clarus evaſit.

LAM-

LAMPUS BIRAGUS

Lampus Biragus Mediolanenſis hiſce Viris diſertis adjicietur. Latine doctus graecas quoque litteras perſecutus eſt. Xenophontis librum, qui Oeconomicus inſcribitur, & ipſe latinum reddidit. M. Bruti epiſtolas graece ſcriptas latinas fecit. Militiae quoque operam dedit, neque inter militares labores litterarum ſtudia praetermiſit. Dionyſium Halicarnaſſeum de Origine Romanorum e graeco in latinun vertit.

LAURENTIUS VALLA

Laurentius Valla Romanus artem rhetoricam diu tum Neapoli, tum Romae profeſſus eſt. Multa legit, multa etiam litteris mandavit. Scripſit de elegantia latinae linguae, quem librum Elegantiarum inſcripſit; de ſummo bono, quod in voluptate conſtituit. In Dialectica quoque nonnulla, quae logicae repaſtinationem appellavit. Contra donationem Conſtantini Eccleſiae Romanae factam librum edidit. Linguae praeterea graecae doctus Thucydidem graviſſimum apud Graecos hiſtoriarum ſcriptorem in latinum convertit, quem Nicolao Pontifici Max. dedicavit. Herodotum deinde hiſtoriographum elegantiſſimum latinum a ſe factum Alphonſo Regi detulit, a quo multa pecunia muneratus eſt.

P E-

PETRUS CANDIDUS

MEDIOLANENSIS.

PEtrus Candidus Mediolanenſis latinis, ac graecis litteris eruditus nobis in hunc coetum clarorum hominum referendus eſt. Scripſit epiſtolarum libros decem, & ſeptem, declamationum libros duos, Peregrinae hiſtoriae libros quinque, Nocturnalium libros totidem. De Philippi Mariae vita, de Nicolai Picinini, de Mediolanenſium laudibus libros ſingulos, orationem funebrem ad Leonellum Marchionem Ferrarienſem, Romanarum hiſtoriarum epitoma. Ex graeco autem in latinum vertit Politicorum Platonis libros decem; ejusdem de amicitia librum unum, Homeri vitam, ex ejusdem Poetae Iliade libros quinque, Appiani Alexandrini primae partis libros quatuor, ejusdem Illyrici, ac civilium bellorum libros ſex, quos Alphonſo Regi dedicavit. Romam profectus a Nicolao Pontifice Max. Litteratorum Patre Secretariorum ordini adjectus eſt.

TIMOTHEUS

VERONENSIS.

HIs adjiciendus eſt Timotheus Maffaeus Veronenſis Canonicus Regularis non ſacris modo litteris, verum & liberalibus eruditus. Extat ejus liber unus in Monachos ſaecularium Auctorum ſtudia vituperantes, quem Nicolao Pontifici Max. dedicavit. Extant & ejus nonnul-

nullae orationes, & epiſtolae ad amicos laudatae. In praedicationibus rerum divinarum excellens, maximeque celebris habetur.

JOANNES
ARRETINUS.

His addiderimus Joannem Arretinum latinae, graecaeque linguae doctum, ac in primis diſertum. Theologiae quoque, & Philoſophiae Doctor Nicolao Pontifici Max. gratiſſimus fuit, & ab eo in Cubicularium adſcitus Commentarios artis grammaticae edidit. Scripſit de origine medicinae librum unum. Alia nonnulla ex Graecis ſumpta latina effecit, quae a doctis commendantur.

GREGORIUS
TIFERNATIS.

Gregorius Tifernatis, quam nunc urbem Caſtellanam vocant, graece latineque doctus, ſimulque eloquens Philoſophiam, & Mathematicas eloquentiae adjunxit. Medicinae quoque operam aliquandju dedit. Romam ad Nicolaum Pontificem Max. profectus apud eum in precio fuit. Ethicorum Ariſtotelis ad Eudemum libros octo Pontificis juſſu latinos fecit; Ethicam item alte-

ram, quam ipſe idem Ariſtoteles magna Moralia inſcripſit. Ex Luciano quoque nonnulla in latinum convertit. Strabonem Coſmographum ejuſdem Pontificis rogatu ex graeco in latinum tranſtulit.

A E N E A S
S E N E N S I S.

AEneas Senenſis ejuſdem urbis Epiſcopus his Viris illuſtribus merito annumerandus eſt liberalibus diſciplinis, ſacriſque inſtitutus, & in primis eloquens. Scripſit de Regia educatione, de miſeria Curialium, ita eum librum inſcribit, de auctoritate Concilii per dialogum libros ſingulos. Scripſit item de egregiis dictis, ac factis clarorum hominum ad Alphonſum Regem. Secretarius trium Pontificum Felicis, Eugenji, ac deinde Nicolai a Friderico Imperatore Romanorum in Secretarium, & Conſiliarium receptus eſt. Germaniam, quae Natio diu Romanis Pontificibus minus obſequens fuerat, obſequium Eugenio primum, ac mox poſt Eugenii mortem Nicolao Quinto ipſe Legatus a Germanis detulit. Inter ipſum quoque Fridericum, atque Alphonſum Regem affinitatem junxit. In conventu apud Germanos acto cauſa expeditionis in Turcas Imperatoris locum tenuit.

Digitized by Google

37

JACOBUS

CREMONENSIS.

JAcobus Cremonenſis nobis in hoc numero reponendus eſt, qui & ipſe latinae, graecaeque linguae eruditus eloquentia valuit. Philoſophiae quoque, & Mathematicarum artium haud inſcius Archimedis nonnulla opera ex graeco in latinum vertit. Ex Diodori Siculi, quem ſupra nominavimus, hiſtoriis libros octo latinos fecit. Quum alia ex eo expectarentur, ex hac vita ereptus eſt.

THEODORUS GRAECUS

THESSALONICENSIS.

THeodorus Graecus Theſſalonicenſis utriuſque linguae doctus, ſed in graeca maxime praecellens huic ordini annumerandus eſt. In transferendis graecis diligentiſſimus, Nicolai Pontificis Max. rogatu, apud quem in magno precio, & honore extitit, Ariſtotelis problemata, & Alexandri Aphrodiſaei, & celebrem illum de Animalibus librum, ac Theophraſtum de plantis in libros decem digeſtum e graeco in latinum traduxit, ipſique Pontifici dedicavit. Ejuſdem eſt traductio Mauritius de

Digitized by Google

militari in duodecim libros diſtinctus ad Alphonſum Regem, a quo receptus annuo ſalario honeſtatus eſt. Ejusdem eſt traductio Aelianus & ipſe de re militari ad Antonium Panormitam. Praeter haec Philoſophiae doctus Medicinae quoque operam dedit, ex quo & inter phyſicos non immerito referendus videtur.

G A S P A R I N U S

B E R G O M E N S I S.

GAſparinus Bergomenſis unus ex iis vel in primis fuit, qui conſopitam diu eloquentiam excitaverunt. Arte rhetorica perdju tum Paduae, tum Mediolani adoleſcentes inſtituit: lingua tamen, & ſermone, quam ſcriptis clarior. Scripſit de ortographia librum unum. Orationes multas ſcriptas reliquit non modo ſuo ipſius, ſed etiam alieno nomine. Scripſit item de compoſitione, & elegantia praecepta quaedam non inutilia jis, qui humanitatis ſtudia ingredi cupiunt. In epiſtolas Senecae commentaria reliquit. Jam grandis natu mortem obiit.

DE

Digitized by Google

DE JURIS CONSULTIS.

Nunc de Juris Conſultis dicendum. Iis etenim ſuus dandus eſt honor, quorum ſtudia pertinent ad conſervationem ſocietatis humanae, atque ob eam quidem cauſam ſemper ejuſmodi Viri in civitatibus bene conſtitutis ſummo honore affecti ſunt. Fruſtra enim aedificaremus urbes, niſi eaedem ſtabilitae eſſent, atque innixae legibus, quae ut bonis praemia, ita malis ſupplicia decernant. Quod ſi qui reperti ſunt, qui jis perperam utantur, eaſque ad bonorum perniciem convertant, non leges ipſae, ſed qui illis male utuntur culpandi ſunt. Sed ſane admodum pauci hac noſtra tempeſtate memoriaque floruerunt, nec porro tam multi, ut in dicendo, aut in ſcribendo Oratores gloriam conſecuti ſunt, ſive quod ars illa ſit cognitu difficilior, ſive, quod multi propter anguſtias rei familiaris, magnam enim librorum vim poſtulant haec ſtudia, amplecti non poſſunt. Ceterum his omiſſis de hujuſmodi Viris dicere valeamus.

FLO-

Digitized by Google

F L O R I A N U S

B O N O N I E N S I S.

FLoriani Bononienſis in hoc genere ampliſſimum nomen fuit. Jus Civile multis annis Bononiae magno ad ſe undique concurſu docuit. Commentaria in leges quaſdam ſcripta reliquit, quae valde probata in cauſis gravioribus magnum auctoritatis locum obtinent. Ejus eſt ſumma, ac ſingularis laus Aquiliae Legis famoſiſſimae interpretatio. Ad multam ſenectutem vixit, nec unquam ab hac profeſſione ceſſavit.

J O A N N E S

I M O L E N S I S.

FUit & in magno honore, & exiſtimatione Joannes Imolenſis. Bononiae multo tempore publice inſtituit. In totum paene Jus Civile, ac Pontificium commentaria edidit, quae in magno precio habentur. In utra vero facultate praeſtantior fuerit, haud facile judicium eſt. Multum vixit, nec unquam hoc vitae genus deſeruit.

AN-

Digitized by Google

ANTONIUS

BUTRIENSIS.

ANtonius Butrienſis Juris Civilis ſcientia, cujus Bononiae Profeſſor fuit, late cognitus eſt. Juris quoque Pontificii in primis peritus fuit, in qua facultate quosdam etiam commentarios reliquit valde probatos. Multi ejus Viri doctrina in utroque Jure praeſtantes facti ſunt. Id unum in eo Viro notandum eſt, quod neminem unquam, adeo excellere homines in eo ſtudio volebat, ut Doctoratu dignum in examine comprobavit.

RAPHAEL FRUGOSIUS

PATAVINUS.

RAphael Frugoſius Patavinus in hoc ordine celebris fuit. Ingentem ex omnibus Orbis terrarum partibus Auditorum concurſum habuit propter nominis ſui gloriam. Erat in legibus exponendis diſertus, atque elegans Juris Conſultorum veterum elegantiam ſequens. Multa hujus Viri conſilia laudantur, atque in uſu habentur. Commentarios etiam in quaſdam leges condidiſſe fertur, quorum magna eſt apud omnes auctoritas. Denique Paduae publice docens conſenuit.

RA-

Digitized by Google

RAPHAEL

COMENSIS.

RAphael alter Comenſis eadem tempeſtate in hac ſcientia claruit, & ipſe Patavii docuit, fuitque tanta utriuſque praeſtantia, ut quum quis illos nominaret, duos Raphaeles, perinde ac duos Laelios, aut duos Catones diceret. Hujus quoque ingenii, ac ſcientiae eximia documenta ſunt reſponſa quaedam de maximis, & graviſſimis cauſis tradita. Nonnullas praeterea leges interpretatus eſt. Hi duo Raphaeles mirum dictu, quum dju Paduae Jus Civile docuiſſent, in eadem urbe eodem anno mortui ſunt.

FRANCISCUS ZABARELLA

PATAVINUS.

FRanciſci Zabarellae Patavini nomen in Jure Pontificio praeclarum eſt, in quod etiam cum magna ſua laude commentatus fertur. Propter ſingularem famam a Martino Quinto Pontifice Max. inter Cardinales cooptatus magnam auctoritatem tenuit.

PAU-

P A U L U S

C A S T R E N S I S.

PAulus Caſtrenſis inter primos legum Bononiae, Paduaeque celebratus eſt. Sed & conſilia, quae de graviſſimis cauſis edidit, illum nonnihil illuſtriorem reddiderunt, quae apud ipſius facultatis peritos magnum ſibi auctoritatis locum vendicarunt. Nonnulla etiam in leges ſcripta reliquiſse fertur, quae valde laudantur.

L O D O V I C U S

P O N T A N U S.

LOdovicus Pontanus Juris conſultus in primis ſcientiſſimus fuit. Aliquot annis tum Bononiae, tum Florentiae, tum Senis publice conductus leges profeſſus eſt. Memoria incredibili fuit. In diſputatione, in cauſis gravioribus mirum eſt, quot legum capita memoriter recitaret. Extant ejuſdem conſilia in cauſis ampliſſimis, quarum patrocinium ſuſcipiebat, & de quibus conſuli ſolitus, magna doctrinae ejus argumenta. Scripſit etiam aliqua in leges, quae valde probantur. Quum plura editurus videretur, juvenis adhuc ad Baſileenſe Concilium cum Nicolao Siculo Alphonſi Regis Legatus profectus e vita diſceſſit.

NICOLAUS SICULUS

ABBAS.

NIcolaus Siculus Abbas appellatus Juris Pontificii ſine controverſia omnium noſtri temporis doctiſſimus judicatus. Bononiae, ac Senis publice docens magnam Auditorum frequentiam habuiſſe fertur. Juris quoque Civilis non ignarus fuit. Multa circumferuntur ejus doctrinae monumenta. Alphonſi Regis Legatus una cum Lodovico Pontano in Baſileenſi Concilio, quod contra Eugenium Pontificem Max: inſtitutum fuerat, ingentem laudem, & gloriam conſecutus eſt.

DE

DE MEDICIS.

JUris Conſultis aequiſſimo jure, ut mihi quidem videtur, Medici proxime adjicientur. Ut enim illorum Rempublicam regere, & conſervare legibus, ac ſanctiſſimis inſtitutis, ſic medicorum officium eſt bonam civium valetudinem ſuis artibus tueri: & quemadmodum illi civiles diſcordias, & inteſtinas ſeditiones, ſic hi morbos, atque aegritudines tollere, ac ſanare omni ingenio, atque induſtria conari debent, atque haud ſcio hi ne magis, aut illi humano generi proſint. Nam neque ſine legibus civitas ſtare, neque ſine Phyſicorum artibus valetudo perpetuo conſervari, aut amiſſa recuperari poteſt, ob eamque cauſam in bene inſtitutis civitatibus ſummus ſemper honos his duobus hominum generibus habitus eſt. Quamquam Juris conſultis aliquanto major, quod eorum actio honeſtior ſit, & magno Viro, claroque dignior, ex quo quidem plures ampliſſimo genere Viros in legum ſtudjis verſatos, & quotidie verſari videmus. Nam quod ad ſcientiam pertinet, nihil profecto dici poteſt cum re ipſa praeſtantius, tum cognitu jucundius. Quid enim altius ipſarum indagatione, & cognitione cauſarum, rerumque omnium, quibus univerſa natura continetur? Quid ingenioſius, quam corporis noſtri compoſitionem, ſtructuram, ordinem, tum ipſas aegritudinum cauſas ratione comprehendere? Quid porro decentius, quam quibus remedjis tam varia, tamque diverſa morborum genera curentur, agnoſcere? Quid denique beatius, quam eorum omnium, quae animata, & quae inanimata ſunt, vim, ac proprieta-

Digitized by Google

tem ſapere ? Sed de hac re nobis ſatis hoc loco dictum ſit. Non erit autem indecens, ut arbitror, claros aliquot Philoſophos, & Theologos Medicis adjungere, quandoquidem abſque Philoſophia Medici eſſe nulli poſſunt.

MARSILIUS

BONONIENSIS

MArſilius Bononienſis in medicina temporibus noſtris floruit, vir & ingenio, & doctrina ſingulari. Ejus operâ multi praeſtantes medici effecti ſunt, nec quidquam eſt in tota philoſophia, & medicorum artibus, quod ignoraſſe exiſtimetur, ſcientia quidem admirabilis, ceterum in docendo, quam medendo admirabilior habitus. Namque omne prope vitae tempus in docendis adoleſcentibus poſuit, ex eaque re magnam laudem, & gloriam adeptus eſt. Scripſit & ipſe multa de hac ipſa facultate, quae doctorum judicio comprobantur.

JACOBUS

FORILIVIENSIS.

JAcobus Forilivienſis ſingulari inter Medicos fama, ac nomine apud Patavinos in magna auditorum copia phyſicas artes, ac medicinam profeſſus eſt. Ceterum artes ipſas magis ad ſcientiam, & doctrinam, quam ad exercitationem retulit. In docendo occupatus raro aegrotantibus ope-

operam exhibebat. Multos viros erudivit, qui clari evaſerunt. Magno in honore non ſolum apud Venetos, ſed etiam apud omnes Italicos fuit, & quamvis uſque occupatus in docendo, multa tamen ſcripſit in phyſicis, quae valde laudantur, praecipue librum unum, quem de phyſicis quaeſtionibus inſcripſit.

ANTONIUS CREMISONUS

PATAVINUS.

ANtonius Cremiſonus Patavinus inter paucos memoriae meae Medicos numeratus eſt. Paduae phyſicorum ſcripta, & ceteras Medicorum artes in publico Auditorio perdju legit. Multis tamen claris Viris aegrotantibus operam dedit. Pluſquam ceteri ſuperiores ad uſum, & exercitationem eam ſcientiam convertit. Nec id tamen avaritiae, aut quaeſtus cauſa: nihil enim pro mercede poſtulabat. Litteris tamen nihil mandavit ſatis de hiſce rebus a veteribus traditum eſſe arbitratus.

UGO SENENSIS.

UGo Senenſis magno in primis vir ingenio, ac memoria ſingulari, tum ſcientia incredibili, dialecticae, atque omnium artium peritiſſimus Senis, Bononiae, Papiae, Paduae, Florentiae ingenti Auditorum frequentia medicas artes adoleſcentes publice docuit, magiſque eam ſcientiam ad docendum, quam ad medendum junior

nior contulit. Senior poſtmodum aegrotantibus frequentius operam dedit. Ejus conſilia circa aegritudines quasdam pro Hippocratis dictis habentur. Id unum in primis de hoc Viro admiratione dignum praedicatur. Quum aliquot egregij Medici neptem ejus Senis aegrotantem viſerent vi morbi paene conſumptam, peregre adveniens, ut urinam contemplentur, rogat. Ipſe deinde accuratius inſpicit, poſt quid morbi ſit, ex ijs quaerit, qui quum dixiſſent, quod ſentirent: O infelicem, inquit, feminam, cujus aegritudo ignorata ſit! Converſuſque ad eos: haec, inquit, matricem corruptam habet, & ſanari potuit, ſi congrua ab initio remedia adhibita fuiſſent. Nunc vero ea parte corporis prorſus putrefacta nulla jam ratione amplius ſanari poteſt, nec ultra quadrageſimam horam fomentis ullis in vita retineri, ſecutaque mulieris mors hora, quam praedixerat, ipſum poſtea admirabiliorem inter medicos reddidit. Scripſit nonnulla in medicina, & phyſicis, quae apud medicos in precio habentur.

BRANCA PATER,

ET ANTONIUS BRANCA FILIUS

SICULI.

Singulari quoque memoria dignos putavi, & in hunc numerum referendos Brancam Patrem, & Filium Siculos Chirurgicos egregios, ex quibus Branca Pater admirabilis, ac prope incredibilis rei inventor fuit. Is excogitavit quo nam modo defectos, mutilatoſque naſos reformaret, ſuppleretque, quae omnia mirâ arte componebat. Ceterum Anto-

Antonius hujus filius pulcherrimo patris invento non parum adjecit. Nam praeter nares, quo nam modo & labia, & aures mutilatae, reſarcirentur excogitavit. Praeterea quod carnis Pater ſecabat pro ſufficiendo naſo ex illius ore, qui mutilatus eſſet, ipſe ex ejusdem lacerto detruncabat, ita ut nulla oris deformitas ſequeretur, in ſecto lacerto, & in eo vulnere infixis mutilati naſi reliquiis uſque arctiſſime conſtrictis adeo, ne mutilato commovendi quopiam capitis poteſtas eſſet, poſt quintum decimum, interdum viceſimum, dum carnunculam, quae naſo cohaeſerat, deſectam paulatim, poſtea cultro circumciſam in nares reformabat tanto artificio, ut vix diſcerni oculis junctam poſſet, omni oris deformitate penitus ſublata. Multa vulnera ſanavit, quae nulla arte, aut ope medica ſanari poſſe videbantur.

NICOLAUS

FABA.

NOſtris etiam temporibus in Philoſophia floruit Nicolaus Faba, cujus ſcientiae multis annis Bononiae profeſſor fuit multorum Auditorum concurſu celeber, ex quibus multi ejus diligentia, atque opera docti evaſerunt. Nihil tamen compoſuit, quod poſteris prodeſſet. In diſputando acer, ac ſubtilis exiſtimatur.

PAU-

PAULUS
VENETUS.

Pauli Veneti illuſtre nomen fuit. Philoſophiam & ipſe profeſſus pleroſque adoleſcentes Venetiis, ac Paduae ornavit. Multa in omni Philoſophia ſcripta reliquit, quae valde utilia exiſtimantur. In Theologia quoque non obſcurus eſt habitus. Viam ad Dialecticam facilem, & adoleſcentibus perutilem brevibus quibuſdam praeceptis aperuit, quae in magno uſu ſunt.

ANDREAS
MEDIOLANENSIS.

Andreas Mediolanenſis ex D. Auguſtini Ordine inter Philoſophos, ac Theologos clarus Senis, & alibi Philoſophiam profeſſus eſt. Studia quoque humanitatis coluit: hiſtoriam ſui temporis ſcripſit, in qua, quae ſua aetate contigerint, annotavit. Volumen praeterea de verborum latinorum interpretatione haud parvum reliquit. Inter Oratores non multo minor, quam inter Philoſophos judicatus ex praedicationibus quoque magnam laudem promeruit.

JOAN.

JOANNES
EX MONTE NIGRO
JENUENSIS.

INter Philoſophos, ac Theologos noſtri temporis non mediocrem locum tenuit Joannes ex Monte Nigro Jenuenſis, cujus praeſtantia non ſolum in docendo Jenuae cognita eſt, verum etiam alibi, Florentiae praeſertim, quo tempore Graecorum Concilium in ea urbe celebratum eſt. Hic enim unus ex iis paucis fuit, qui communi conſenſu totius Conventus ad Graecorum errores confutandos delecti ſunt, in qua diſputatione ſuperatis Graecis ingentem laudem, & gloriam adeptus eſt.

BERNARDINUS
SENENSIS.

SEnae Urbs Etruſca Bernardino Theologo, ac Philoſopho non parum illuſtratae ſunt. Magnus hic memoria noſtra, atque admirabilis Vir in praedicando viſus eſt. Quocumque ſe conferebat, totum populum in ſe convertebat. Fuit in praedicando copioſus, ac vehemens, memoria incredibili, pronuntiatione adeo apta, ut nunquam ſatietatem circumſtantibus ſermo ejus afferret. Porro autem ita firma, & conſtanti voce, ut nunquam inter dicendum deficeret, quodque mirum eſt magis, in maximo hominum conventu, at-

Digitized by Google

que frequentia ita ab eo, qui erat remotiſſimus, quemadmodum ab eo, qui erat proximus, facile exaudiebatur. Multos oratione ſua ex ſordidiſſima vitiorum ſentina extraxit, multorum animas variis morbis affectas ſanavit, pleraſque etiam contemptis rebus humanis ad Religionis amorem perduxit, quibus meritis, tum vitae puritate, ac ſanctitate a Nicolao Quinto Pontifice Max. in Sanctorum numero relatus eſt.

RAPHAEL

PRONASSIUS.

RAphael Pronaſſius natione Jenuenſis Ordinis D. Dominici dialecticae, ac Philoſophiae, itemque divinarum rerum artibus ornatus inter Theologos noſtri temporis ſingularis judicatur. Rerum antiquarum ſtudioſus, earum maxime, quae ad mores, & Religionis cultum pertinent, Platonis, Ariſtotelis, ac ceterorum Philoſophorum veterum ſcripta, quae conſentire cum Evangelijs, & Chriſti veri, ac ſummi Dei noſtri dictis viderentur, in unum volumen collegit, dictaque cum dictis contulit, ut Summam Sapientiam, hoc eſt Dei Verbum, ac Filium omnium Philoſophorum ſententias non aequaſſe modo, ſed etiam ſuperaſſe doceat. Scripſit item alia quaedam in eo genere non contemnenda. In diſputationibus ſubtilis, atque acerrima vitae innocentia, ac puritate.

DE

DE PICTORIBUS.

Nunc ad Pictores veniamus, quamquam fortaſſe convenientius fuit, ut poſt Poetas Pictores locarentur. Eſt enim, ut ſcis, inter Pictores, ac Poetas magna quaedam affinitas. Neque enim aliud eſt pictura, quam poema tacitum: namque in inventione, ac diſpoſitione operis utriuſque cura propemodum par, nec Pictor ullus praeſtans eſt habitus, niſi qui in rerum phyſicarum proprietatibus effingendis excelluerit. Aliud enim eſt ſuperbum pingere, aliud avarum, aliud ambitioſum, aliud prodigum, & reliqua item hujuſmodi, atque in his proprietatibus rerum exprimendis tam Pictori, quam Poetae elaborandum eſt, & in ea ſane re utriuſque ingenium, ac facultas maxime agnoſcitur. Nam ſi avarum fingere quis volens leoni, aut aquilae illum comparaverit, aut ſi liberalem lupo, aut milvio, is nimirum, ſive Poeta, ſive Pictor fuerit, deſipere videatur. Oportet enim comparatorum naturam ſimilem eſſe. Et ſane ſaepe ſaepius magnus honos nec immerito picturae fuit: eſt enim ars magni ingenii, ac ſolertiae, nec temere alia inter operoſas majorem prudentiam deſiderat, utpote quae non ſolum, ut os, ut facies, ac totius corporis lineamenta, ſed multo etiam magis interiores ſenſus, ac motus exprimantur poſtulat; ita ut vivere, ac ſentire pictura illa, & quodammodo moveri, ac geſtire videatur. Alioquin ſimilis fuerit poemati pulchro illi quidem, & eleganti, ſed languido, & nihil moventi. Verum ut non ſatis eſt poemata pulcra eſſe,

quemadmodum ait Horatius, oportet enim dulcia ſint, ut quacumque in parte velint, animos hominum, ſenſuſque permoveant, ita & picturam non ſolum colorum varietate exornatam, ſed multo magis vivacitate quadam, ut ita loquar, figuratam eſſe convenit, & quemadmodum de pictura, ita & de ſculptura, fuſura, architectura, quae omnes artes a pictura ortum habent, dicendum eſt. Nec enim quiſquam probatus in his generibus artifex eſſe poteſt, cui pingendi ratio ignota ſit. Ceterum praetermiſſa longiori diſputatione de iis paucis Pictoribus, atque Sculptoribus, qui hac aetate noſtra claruerunt, ſcribere pergamus, ac de infinitis eorum operibus ea ſolum attingemus, quorum clara notitia ad nos pervenit.

GENTILIS

FABRIANENSIS.

GEntilis Fabrianenſis ingenio ad omnia pingenda habili, atque accommodato fuit. Maxime vero in aedificiis pingendis ejus ars, atque induſtria cognita eſt. Ejus eſt Florentiae in Sanctae Trinitatis Templo nobilis illa tabula, in qua Maria Virgo, Chriſtus infans in manibus ejus, ac tres Magi Chriſtum adorantes, muneraque offerentes conſpiciuntur. Ejus eſt opus Senis in foro eadem Maria Mater Chriſtum itidem Puerum gremio tenens tenui linteo illum velare cupienti adſimilis: Joannes Baptiſta, Petrus, ac Paulus Apoſtoli, & Chriſtophorus Chriſtum humero ſuſtinens mirabili arte, ita ut ipſos quoque corporis motus, ac geſtus repraeſentare videatur. Ejus eſt opus apud Urbem-veterem in majore Tem-

Templo eadem Virgo, & Chriſtus infantulus in manibus ridens, cui nihil addi poſſe videatur. Pinxit & Brixiae ſacellum ampliſſima mercede Pandulpho Malateſtae. Pinxit & Venetijs in Palatio terreſtre praelium contra Friderici Imperatoris filium a Venetis pro Summo Pontifice ſuſceptum, geſtumque, quod tamen parietis vitio paene totum excidit. Pinxit item in eadem urbe turbinem arbores, ceteraque id genus radicitus evertentem, cujus eſt ea facies, ut vel perſpicientibus horrorem, ac metum incutiat. Ejuſdem eſt opus Romae in Joannis Laterani Templo Joannis ipſius hiſtoria, ac ſupra eam hiſtoriam Prophetae quinque [1] ita expreſſi, ut non picti, ſed e marmore facti eſſe videantur, quo in opere, quaſi mortem praeſagiret, ſeipſum ſuperaſſe putatus eſt. Quaedam etiam in eo opere adumbrata modo, atque imperfecta morte praeventus reliquit. Ejuſdem eſt etiam altera tabula, in quâ Martinus Pontifex Max., & Cardinales decem ita expreſſi, ut naturam ipſam aequare, & nulla re diſſimiles videantur. De hoc Viro ferunt, quum Rogerius Gallicus inſignis Pictor, de quo poſt dicemus, Jubilaei anno in ipſum Joannis Baptiſtae Templum acceſſiſſet, eamque picturam contemplatus eſſet, admiratione operis captum auctore requiſito eum multa laude cumulatum ceteris Italicis pictoribus antepoſuiſſe. Ejuſdem etiam tabulae praeclarae in diverſis locis eſſe perhibentur, de quibus non ſcripſi, quoniam de iis haud ſatis comperi.

JOAN-

1 Ita MSS: ſed in margine neſcio quis repoſuit *quatuor*.

J O A N N E S

GALLICUS.

JOannes Gallicus noſtri ſaeculi Pictorum princeps judicatus eſt, litterarum nonnihil doctus Geometriae praeſertim, & earum artium, quae ad picturae ornamentum accederent, putaturque ob eam rem multa de colorum proprietatibus inveniſſe, quae ab antiquis tradita ex Plinii, & aliorum auctorum lectione didicerat. Ejus eſt tabula inſignis in penetralibus Alphonſi Regis, in qua eſt Maria Virgo ipſa venuſtate, ac verecundia notabilis, Gabriel Angelus Dei filium ex ea naſciturum annuntians excellenti pulchritudine capillis veros vincentibus, Joannes Baptiſta vitae ſanctitatem, & auſteritatem admirabilem praeſeferens, Hieronymus viventi perſimilis, Bibliotheca mirae artis, quippe quae, ſi paulum ab ea diſcedas, videatur introrſus recedere, & totos libros pandere, quorum capita modo appropinquanti appareant. In ejuſdem tabulae exteriori parte pictus eſt Baptiſta Lomellinus, cuius fuit ipſa tabula, cui ſolam vocem deeſſe judices, & mulier, quam amabat praeſtanti forma, & ipſa, qualis erat, ad unguem expreſſa, inter quos Solis radius veluti per rimam illabebatur, quem verum Solem putes. Ejus eſt Mundi comprehenſio orbiculari forma, quam Philippo Belgarum Principi pinxit, quo nullum conſummatius opus noſtra aetate factum putatur, in quo non ſolum loca, ſituſque regionum, ſed etiam loco-

locorum diſtantiam metiendo dignoſcas. Sunt item picturae ejus nobiles apud Octavianum Cardinalem virum illuſtrem eximiâ forma feminae e balneo exeuntes occultiores corporis partes tenui linteo velatae notabili rubore, e quîs unius os tantummodo, pectuſque demonſtrans poſteriores corporis partes per ſpeculum pictum lateri oppoſitum ita expreſſit, ut & terga, quemadmodum pectus videas. In eadem tabula eſt in balneo lucerna ardenti ſimillima, & anus, quae ſudare videatur, catulus aquam lambens, & item equi, hominesſque perbrevi ſtatura, montes, nemora, pagi, caſtella tanto artificio elaborata, ut alia ab aliis quinquaginta millibus paſſuum diſtare credas Sed nihil prope admirabilius in eodem opere, quam ſpeculum in eadem tabula depictum, in quo quaecumque inibi deſcripta ſunt, tanquam in vero ſpeculo proſpicias. Alia complura opera feciſſe dicitur, quorum plenam notitiam habere non potui.

P I S A N U S

V E R O N E N S I S.

Piſanus Veronenſis in pingendis rerum formis, ſenſibuſque exprimendis ingenio prope poetico putatus eſt. Sed in pingendis equis, ceteriſque animalibus peritorum judicio ceteros anteceſſit. Mantuae aediculam pinxit, & tabulas valde laudatas. Pinxit Venetiis in Palatio Fridericum Barbaruſſam Romanorum Imperatorem, & ejuſdem

dem filium ſupplicem: magnum quoque ibidem Comitum coetum germanico corporis cultu, oriſque habitu: Sacerdotem digitis os diſtorquentem, & ob id ridentes pueros tanta ſuavitate, ut aſpicientes ad hilaritatem excitent. Pinxit & Romae in Joannis Laterani Templo, quae Gentilis D. Joannis Baptiſtae hiſtoria inchoata reliquerat, quod tamen opus poſtea, quantum ex eo audivi, parietis humectatione paene obliteratum eſt. Sunt & ejus ingenij atque artis exemplaria aliquot picturae in tabellulis, ac membranulis, in quîs Hieronymus Chriſtum Crucifixum adorans ipſo geſtu, atque oris majeſtate venerabilis, & item Eremus, in qua multa diverſi generis animalia, quae vivere exiſtimes. Picturae adjecit fingendi artem. Ejus opera in plumbo, atque aere ſunt Alphonſus Rex Aragonum, Philippus Mediolanenſium Princeps, & alii plerique Italiae Reguli, quibus propter artis praeſtantiam carus fuit.

ROGERIUS

GALLICUS.

Rogerius Gallicus Joannis diſcipulus, & conterraneus multa artis ſuae monumenta ſingularia edidit. Ejus eſt tabula praeinſignis Jenuae, in qua mulier in balneo ſudans, juxtaque eam catulus, ex adverſo duo adoleſcentes illam clanculum per rimam proſpectantes ipſo riſu notabiles. Ejus eſt tabula altera in penetralibus Principis Ferrariae, in cujus alteris valvis Adam, & Eva

Eva nudis corporibus e Terreſtri Paradiſo per Angelum ejecti, quibus nihil deſit ad ſummam pulchritudinem: in alteris Regulus quidam ſupplex: in media tabula Chriſtus e cruce demiſſus, Maria Mater, Maria Magdalena, Joſephus ita expreſſo dolore, ac lacrymis, ut a veris diſcrepare non exiſtimes. Ejuſdem ſunt nobiles in linteis picturae apud Alphonſum Regem: eadem Mater Domini renuntiata Filii captivitate conſternata, profluentibus lacrymis ſervata dignitate conſummatiſſimum opus. Item contumeliae, atque ſupplicia, quae Chriſtus Deus noſter a Judaeis perpeſſus eſt, in quibus pro rerum varietate ſenſuum, atque animorum varietatem facile diſcernas. Burſellae, quae urbs in Gallia eſt, aedem ſacram pinxit abſolutiſſimi operis.

DE SCULPTORIBUS.

R E N T I U S

F L O R E N T I N U S.

EX Sculptoribus paucos in tanta multitudine claros habemus, quamquam aliqui hodie ſunt, quos aliquando nobiles fore exiſtimamus. Sed de Rentio Florentino prius verba faciam. Teſtamentum Novum, deinde Vetus tam diffuſa, tam varia Florentiae in valvis Templi Ioannis Baptiſtae inenarrabilis operis ex aere finxit. Ejus item ſunt Florentiae in aede Reparatae D. Zenobii Sepulcrum ex aere, in Hortis Michaelis Archangeli Joannes Baptiſta, ac Stephanus Protomartyr opus utique magni ingenii, artificiique.

V I C T O R.

NEc inferior putatur Victor ejus filius, cujus manus, atque ars in iisdem valvis Joannis Baptiſtae elaborandis cognita eſt. Ita enim inter ſe utriuſque opera conveniunt, ut unius, & ejusdem manu facta eſſe videantur.

DO-

Digitized by Google

DONATELLUS

FLORENTINUS.

DOnatellus & ipſe Florentinus ingenii quoque, & artis praeſtantia excellet non aere tantum, ſed etiam marmore notiſſimus, ut vivos vultus ducere, & ad antiquorum gloriam proxime accedere videatur. Ejus eſt Paduae D. Antonius, atque alia Sanctorum quorundam in eadem tabula praeclara ſimulacra. Ejusdem eſt in eadem Urbe Gattamelata egregius Copiarum Dux ex aere equo inſidens mirifici operis.

Digitized by Google

DE QUIBUSDAM

CIVIBUS PRIVATIS.

COnſentaneum videbatur, ut poſt Medicorum mentionem de paucis quibuſdam privatis Civibus, qui duce virtute, comite fortuna ad ampliſſimam dignitatem evecti ſunt, verba faceremus. Sed neſcio quo nam modo ad Pictores noſtra divertit oratio. Nam ut Medicorum eſt bonae civium valetudini conſulere, eamque prudentia, atque artibus ſuis conſervare, ita Principum virorum eſt bene Reſpublicas gubernare, ac tueri. De iis Viris loquor, qui honeſtis rationibus magni in civitatibus ſuis fieri ſtudent, non de iis, qui malis artibus, & ambitione corrupti quacunque ratione ſibi ad Principatum viam moliuntur, cujus generis civium magna penuria eſt. Sed quod rarius, id praeclarius, ac precioſius multo haberi ſolet. Hac parte abſoluta, reliqua deinceps propoſiti noſtri perſequemur.

JOAN-

JOANNES

CARAZULUS.

Joannes Carazulus Eques Neapolitanus inter rariſſima privatorum civium, qui magni, atque illuſtres evaſerunt, exempla reponendus eſt. Conſilio excellens, animo excellentior ad omnia pacis, ac belli munera natus eſſe videbatur. Commendabat prudentiam ejus formae dignitas egregia. Ob eas res in Joannae Reginae gratiam haud mediocriter venit. Magnus Seneſcalcus, ita eam dignitatem vocant, ab ea factus unus erat, qui apud illam poſſet, honores conferret, delictorum gratiam faceret. Solum Regium nomen deerat. Multis oppidis a Regina ſibi traditis civilem modum longe ſupergreſſus eſt. Ejuſdem Reginae Statum ſua prudentia diu conſervavit. Auctoritatem ſuam Alphonſi Regis praeſentia diminutam eodem Rege digreſſo recuperavit, omniaque rurſus pro arbitrio agere, ac moderari coepit. Demum ſtimulante quorundam invidia quum in odium Reginae incidiſſet, ſive conſentiente ea, ſive diſſimulante in Arce Capuana ab inimicis in cubiculo noctu interemptus eſt.

FRAN-

FRANCISCUS
SPINULA.

FRancifcus Spinula Otobono patre praeclaro Viro natus Genuae temporibus noſtris in primis floruit. Natura ad conciliandos multitudinis animos comparatus omiſſis mercaturae ſtudiis ad Rempublicam gerendam animum convertit. In cognoſcendis rebus acer, nec minus in agendis, exequendiſque impiger, ingenio miti injurias facile remittere, Litteratorum amator omne ocioſum tempus in legendo conſumere. Philippo Maria Mediolanenſium Principe Urbem Genuam imperio tenente cuncta de ejus conſilio a Philippi praeſidibus adminiſtrari, ac geri, amicos alios dignitate, alios fortunis augere eniti. Conditione privatus, at dignitate civitatis ſuae Princeps habebatur. Urbem Genuam clientum, & amicorum opibus ab adverſariis Philippi ſaepius defendit. Cajetam, ad quam tuendam cum praeſidio miſſus fuerat ab eodem Philippo, quamdiu in ea manſit, ſervavit, quo adverſus Venetos bellum gerente tractis in idem bellum Genuenſibus Dux claſſis, quem Genuenſes Admiratum vocant, creatus triremes ad viginti, mirum dictu, intra quintum, ac viceſimum diem ſua diligentia ex publico comparavit, deduxit, armavit. Nuntiantibus quibusdam hoſtilem claſſem metu fugam arripere, cum octo triremibus inſecutus abeuntes hoſtibus in ſe converſis, priuſquam cetera claſſis opitulari poſſet, circumventus, captuſque eſt. Captivitate liberatus Genuam rediens tanta civium frequentia domum reductus eſt, ut non ex captivitate reverti, ſed devictis hoſtibus triumphum

umphum reportare videretur. Univerſis civibus tam ſuae, quam diverſae factionis Rempublicam vexari, ac perdi indignantibus, ejecto Philippi praeſidio, Patriam in priſtinam libertatem reſtituit. Patronus libertatis totius civitatis conſenſu conſtitutus aliis quibuſdam civibus in ſocietatem allectis, quum ſeditio orta eſſet, & Thomas Fregoſus contrariae factionis alioquin vir magnus, atque illuſtris Rempublicam occupaſſet, ob ſuſpicionem Patria cedens Philippo reconciliatus eſt. Niceam profectus dum cum Raphaele Adiano triremibus comparatis Thomae ſtatum evertere conatur, aegritudine in curſu gravatus apud Finarium vita exceſſit.

VITALIANUS

BORROMEUS

MEDIOLANENSIS.

AD haec magnum civem cognovimus Vitalianum Borromeum Mediolanenſem origine Piſarum, cui divitiae tantae fuere, ut Philippum Mariam Mediolanenſium Principem in maximis belli diſcriminibus, quum a Venetis diuturno bello fatigaretur, ſua ipſius pecunia ſaepenumero ſuſtentaverit, cujus rei gratia, & a Philippo admodum dilectus eſt, & in magnam praeterea dignitatem, & ſtatum evectus. Hoſpitalitate maxime laudatus eſt, qua in magnos quoſque, & illuſtres, ac Principes viros uti ſolebat, eoque genere liberalitatis multos ſibi mortales obſtrinxit. Domum divitiis, ac dignitati convenientem paravit, ceteroque vitae cultu ſplendidum ſe ſe, atque elegantem virum exhibuit.

FRAN-

Digitized by Google

FRANCISCUS FUSCARUS.

FRanciſcus Fuſcarus Venetus prudentia, an naturali facundia magis valeat incertum. Sermone gravis, ac promptus, conſilio validus, memoria inſigni ſaepe eorum civium, qui ante ſe ſententiam in Senatu dixerunt, argumenta, ac verba ipſa repetere, ſaepe etiam Legatorum in Senatu mandata exponentium ad tricena, interdum ad quinquagena orationis capita memoriter referre, eaque omnia ſingillatim, atque ex ordine vel confirmare, vel diluere cum totius conſeſſus admiratione proſpectus eſt. Summos quoſque honores apud cives ſuos gradatim conſecutus eſt. Poſtremo cunctorum civium ſuffragio Dux, & Princeps Reipublicae mortuo Thoma Mozenigo creatus eſt multis prius Legationibus honeſtiſſimis pro Republica ſuſceptis, atque aditis. Ejus conſilio bellum adverſus Philippum Mariam Mediolanenſium Principem ſuſceptum, ac geſtum eſt, Brixiaque, & magna parte Galliae Ciſalpinae in Venetorum ditionem redacta. Jam admodum ſenex, ingenio tamen firmo, ac memoria integra, Curiaeque laborum ſupra fidem patiens.

COS-

Digitized by Google

52

COSMUS MEDICES

FLORENTINUS.

Coſmus Medices Florentinus prudentia in primis laudatur. In adminiſtranda Republica, atque adeo in his omnibus, quae ad rem bellicam pertinent, conſilio multum valere exiſtimatur. Litteris non tam latinis modo, ſed etiam graecis inſtructus vitam inter philoſophos, & eos, qui Rempublicam gerunt, mediam agit tantum litteris temporis impertiens, quantum ſibi a negociis Reipublicae ſupereſt. Bibliothecam, quam ampliſſimam aedificavit, infinitis librorum voluminibus tum graecorum, tum latinorum cujuſque ordinis, ac facultatis exornavit partim undique magno impendio quaeſitis, partim conductis librariis exſcriptis. Divitiis civilem modum longe exceſſit omnium non tantum privatorum hominum noſtrae tempeſtatis locupletiſſimus, ſed etiam cum non mediocribus Principibus ea re conferendus. Marci Evangeliſtae aedem ornatiſſimam ſua ipſius pecunia Florentiae extruxit. Hieroſolymis Chriſti Dei noſtri templum ejusdem Sepulcro contiguum ingenti ſumptu refecit, auxitque annua pecunia in Sacerdotum alimenta conſtituta. Multa praeterea aedificia tum ſacra, tum publica partim ſuſtentavit, partim everſa reſtituit. In egentes beneficus multos locupletavit, multos ad Reipublicae honores evexit, atque in dies evehit. In externos quoque, ne dum in cives liberalis, atque hoſpitalis. Domum Etruſco mar-

more mirum in modum exornavit, illuſtravitque. Auctoritate, & exiſtimatione haud dubie civitatis ſuae Princeps : nec famulatu tamen, nec cetero vitae cultu ſupra mediocrem civem ſe ſe effert; quin etiam Magiſtratus quoſque, & aetate antecedentes tamquam ſuperiores colere, obſervareque. Vexatus aliquando ab adverſariis, & ex urbe cedere coactus apud Venetos relegatus degere maluit, quam Rempublicam ſumptis armis in diſcrimen adducere. Revocatus in Patriam Franciſco Sfortiae ſingulari amicitia conjunctus illum ſaepenumero grandi pecunia adjuvit, ac fovit.

DE

Digitized by Google

DE COPIARUM

DUCIBUS

Civitatem voluit ſapiens ille Hippodamus Mileſius, ut Ariſtoteles tradit, eam, quae eſſet bene conſtituta, ex triplici genere hominum conſtare: opificibus, militibus, colonis, & eam, quae ita conſtituta eſſet, non dubitabat ſtabilem, atque optimam fore. Nam per artifices, quae uſui ſingulari civibus ſunt, efficiuntur, per colonos vero res frumentaria ſuppeditatur putabatque eam civitatem mancam, atque imperfectam eſſe, quae horum trium aliquo careret. Nam & opifex, & colonus militis tutela, & miles opificis, ac coloni ope indiget. Quo nam enim modo aut artifex, aut colonus res ſuas tueri, aut miles ſine iis ſuſtentari poſſit? Erit itaque propoſito inſtituto noſtro conveniens, poſtquam de claris civibus dictum eſt, claros copiarum Duces memorare, & eos dumtaxat paucos, qui fama, & rebus geſtis praecelluerunt nullo tamen dignitatis, ut ad hunc locum feci, ordine ſervato.

PAULUS
URSINUS.

HOc loco nobis commemorandus eſt Paulus Urſinus. Hujus potiſſimum conſilio, ac virtute Lodovicus Andegavenſium Princeps, Rex poſtea appellatus Ladislaum Neapolitanorum Regem, qui Joannem tum Pontificem Max: oppugnaverat, apud Roccam ſiccam fudit, magnaque parte copiarum capta trepidum in Regnum redire coegit, aliquot prius in Tuſcia factis memorabilis.

ANGELUS
PERGULENSIS.

NEque vero Angelus Pergulenſis indignus videtur, qui claris Ducibus inſeratur duabus maxime rebus, victoria apud Zagonacram de Venetis inſigni, quum Philippi Mariae exercitum duceret, & clade ingenti Sviceris populis Alpinis praeferocibus illata nobilitatus.

OTO-

54

OTOBONUS
TERTIUS
PARMENSIS.

OTobonus Tertius Parmenſis rei militaris peritiſſimus Martinum Faventinum, Lancialotum Beccarium, ac pleroſque claros Ductores, & Equites apud Sutrium Tuſciae oppidum proelio vicit. Faventiae Florentinorum, ac Sociorum exercitum fudit. Imperatorem Romanorum, quem Novum electum appellabant, cum ingentibus copiis in Italiam profectum, ut Mediolani Principatum invaderet, in Brixenſi agro profligavit, multis interfectis, & captis. Facinum Canem nominatiſſimum in armis Virum, magnaque potentia ſubnixum inter Roſatum, & Belreguardum in Mediolanenſi ſignis collatis fregit. Veronenſis, & Carrarienſis Principum copias, queis praeerat Chechus Sanſeverinus, in Veronenſi apud vallem Policellam in fugam vertit Atheſi flumine praerapido vado pertranſito. Apud Brixellum in Parmenſi Pontificis Max:, ac Ferrarienſis Principis equitatum recuperata praeda, multiſque captis fugavit. A Joannis Galeatii Mediolanenſium Principis, & a Pontificis Max:, ac Sociorum conjunctis exercitibus in Reginum, ac Parmenſem agrum Paulo Urſino Duce profectis oppida tutatus eſt, & pacem honeſtam obtinuit. Nemo tot proeliis ejus ſigna retro converſa ſemel vidit, Parmenſium, Placentinorum, ac Reginorum Princeps. Ad poſtremum a Nicolai Marchionis Ferrarienſis copiis inopinato interfectus eſt.

BRAC-

Digitized by Google

BRACCIUS
MONTONIUS.

BRaccius Montonius ſub Alberico Balbuano eo viro, qui equeſtrem diſciplinam in Italia denuo excitavit (nam ante multis jam annis Germano equite mercenario apud nos bella gerebantur) militaribus inſtitutis ornatus a Florentinis, a Malateſtis, & aliis nonnullis Italiae Regulis mercede conductus praeclare, fortiterque res geſſit. Peruſiam cepit clientum, & amicorum auxilio. Ab Alphonſo Rege auxilio Joannae Reginae accerſitus Sfortiam copiarum Ducem ab obſidione Neapolitana depulit multis ibidem egregiis facinoribus editis. Ad Aquilae urbis expugnationem profectus dum urbem ipſam arctius obſidet, ſibi praefidens a Martini tum Pontificis Max: Ducibus caſtris direptis caeſus eſt. Vir animo, conſilioque excellens: ceterum corpore ob acceptum in cervice vulnus minus validus.

SFORTIAS
CONTINIOLEUS.

SFortias Continioleus unus ex ejuſdem Alberici diſciplina animo, & corpore aeque bonus ſtipendia ſub Florentinis primum Braccii ſocius, & amicus multa fecit multis proeliis inſignis habitus. Aemulatione exinde inter eum, ac Braccium de rei militaris gloria exorta quum ab ami-

amicitia, & ſocietate diſceſſiſſent, alter adverſus alterum, Braccius adverſus ipſum militare coeperunt. A Lodovico Rege conductus contra Joannam Reginam in Neapolitanum cum exercitu profectus Urbem Neapolim obſedit. Eidem Reginae non multo poſt tempore reconciliatus adverſarios juxta Neapolim acie vicit. Urbem praeter arcem expugnavit. Reginam rebus ſuis diffidentem appulſa Neapolim Alphonſi claſſe, quum urbem aliquandiu fruſtra defendiſſet, ex arce Capuana Nolam traduxit. Martini Pontificis Max: rogatu adverſus Braccium a Regina proficiſcens in Aterno flumine, quod nunc Piſcariam vocant, dum provoluto vadis armigero ſuccurrit, interiit.

F R A N C I S C U S

C A R M A G N O L A.

FRanciſcus cognomento Carmagnola Carmagnolae ortus in hoc numero merito celebrandus eſt. Facinum Canem praeſtantiſſimum in armis Virum magiſtrum, ac ducem in re militari habuit. Philippi Mariae Facino mortuo Dux copiarum factus paternum illi imperium reſtituit. Comum, Bergomum, Cremonam, Brixiam Tyrannis inde expulſis, qui urbes illas occupaverant, recepit. Urbem Genuam exulibus adjuvantibus Philippi ditioni adjecit. In obſidendis, oppugnandiſque urbibus ſollers maxime habitus. Urbi Genuae a Philippo miſſus aliquandiu praefuit. Ejuſdem Philippi Statum, quamdiu apud illum manſit, conſervavit. Martinum Faventinum Principem copiarum Ducem ipſe paucioribus copiis acie vicit. Abalienatus a Philippo, & ob id ad Vene-

Venetos profectus, Duxque eorum exercitus factus Brixiam, & aliquot praeterea oppida Philippo ademit. Sexaginta fere millibus hominum partim equitum, partim peditum, quo major memoria mea exercitus in Italia non eſt viſus, praefuit. De proditione ſuſpectus, & ob eam rem Venetias e caſtris diſſimulanter accitus capitali ſupplicio affectus eſt.

JOANNES
HUNNACIUS
BLANCUS.

JOannes Hunnacius cognomento Blancus natione Valacus, quam gentem Dacos Veteres appellabant, nobis hoc loco haudquaquam reticendus eſt, cujus hoc major gloria habenda eſt, quod contra Religionis noſtrae adverſarios bella geſſit. Hic & ſeorſum, & una cum Ladiſlao Polonorum Rege, qui pro defendenda Sanctiſſima Fide noſtra trajecto Danubio Turcarum fines ingreſſus ad extremum proelio infeliciter commiſſo vitam amiſit, cum Turcis pugnavit. Quotieſcumque ipſe exercitus Dux fuit, proſpere rem geſſit, & nunc, dum haec proderem, Maomettum Ottomanum ab Albae graecae, quam vulgo Belgradum vocant, obſidione depulit, multiſque militibus hoſtium caeſis fudit, ac fugavit ejusdem claſſe apud Danubium profligata, atque exuſta, tormentiſque omnibus ereptis.

NICO-

Digitized by Google

56

NICOLAUS

PICININUS.

Nicolaus Picininus unus e Braccianae familiae alumnis omnium celeberrimus primum dum ad Philippum Mariam ex Tuſcia cum copiis proficiſcitur, inter inimicas, infeſtaſque Philippo gentes ſibi per vim tranſitum fecit. Padana Venetorum claſſis ingens ejus virtute, quamquam & Franciſcus Sfortia magnam quoque ex ea victoria laudem meruit, profligata eſt. Porciferae vallem Genuae propinquam ferocibus viris incultam bis, terve excitatis caſtellis aliquot in collibus, qua in vallem deſcenſus erat, ſolus memoria patrum noſtrorum ſine exercitus detrimento intravit, docuitque agreſtes viros vinci poſſe. Florentinorum exercitum ex multis copiarum Ducibus comparatum ad octo millia equitum praeter peditatum haud procul a Luca oppido trajecto per ſummam hyemem Sertio amne, Anſere, ut reor, ab antiquis appellato, qui per eos dies continuis imbribus intumuerat, acie vicit magna hoſtium parte capta. In Tuſciam cum exercitu a Philippo miſſus una dumtaxat aeſtate maximam partem agri Piſani, ac Piſtorienſis in Philippi ditionem redegit, ipſis quoque Florentiae urbis finibus depopulatis, vexatiſque. In valle Telina inſigni clade Venetos fregit capto Gregorio Cornaro Caſtrenſi Legato. Rurſus Florentinorum, Venetorum, & Eugenii Pontificis Max: conjunctos exercitus, a quibus obſidebatur, ingenti apud Imolam proelio ſuperavit, omnibus prope hoſtilium Copiarum Ducibus eo proelio captis. Secundum eam pugnam Forlivium, Imo-

Digitized by Google

lam, Bononiam, quae oppida Eugenio parebant, uno prope die illi eripuit. Idem poſtea, Philippo Eugenio reconciliato, Sacroſanctae Romanae Eccleſiae Statum ſumma vi tutatus eſt. Parva manu majores ipſe hoſtium copias ſaepe aggredi non dubitavit. Quum ex vulnere debilitatus eſſet, a Philippo totius Status ſui ſummae praepoſitus in eo honore vitam finivit, cujus filius Jacobus Picininus propter praeſtantem virtutem olim etiam celebrabitur.

CAROLUS

MALATESTA.

CArolus Malateſta celebrati nominis in re militari fuit. Conſilio, atque animo multum valere judicatus eſt. Aliquot proelia proſpere fecit. Apud Copiarum Duces, & Italiae Principes in magna auctoritate, & extimatione fuit. Rei militari doctrinam adjecit, ex quo nonnihil habitus eſt illuſtrior.

FRANCISCUS

SFORTIA.

FRanciſcus Sfortia in caſtris propriis natus, atque educatus uſque adeo ab adoleſcentia florere incoepit. Unus vel ex primis Ducibus fuit, quorum virtute Braccius apud Aquilam cecidit, paterni exercitus Dux ſummo militum conſenſu factus. Brixenſi bello a Philippo Maria conductus

ctus quotidianis ad Brixiae portas excurſionibus magni mox futuri Ducis opinionem de ſe praebuit. Ejusdem urbis arcem a Venetis obſeſſam contra Venetorum opes diu defendit. Padanae Philippi victoriae, quae fuit maxima de Venetorum claſſe, una cum Nicolao Picinino praecipuus auctor extitit. A Philippo digreſſus magno exercitu comparato Picentes populos in poteſtatem ſuam redegit. Sedendo, & quieſcendo hoſtium vires ſaepe fruſtratus eſt. Veneti exercitus Dux Veronam recepit Philippi copiis, quae clandeſtino per noctem introitu arce occupata urbem invaſerant, excedere coactis. Frемente bello Italia ipſe Dux Venetorum, ac Florentinorum arbiter electus communis pacis conditiones dixit. Blancam Philippi filiam praeſtantiſſimam in uxorem cepit. A Mediolanenſibus conductus poſt Philippi mortem Venetorum exercitum ingenti equitatu, ac peditatu praeter delectus ſubnixum magna parte hoſtium capta proelio devicit. Ab iisdem Mediolanenſibus ſtudio partium inter ſe diſſidentibus irritatus Mediolanum obſedit, ac cepit. Arrepto imperio adverſus Venetos cum exercitu profectus, pleriſque oppidis circa Olium, & Abduam amnes captis, Brixiam obſedit. Felicitate inter priora exempla reponendus tum imperio, ac rebus geſtis, tum Philippi, Alphonſi, ac Ferdinandi ejus filii affinitatibus.

DE REGIBUS, AC PRINCIPIBUS

REcenſitis copiarum Ducibus iis, qui rei militaris gloria eminuerunt, conſequens videtur, ut de iis Regibus, ac Principibus verba faciamus, qui vel rerum geſtarum amplitudine, vel auctoritate, & exiſtimatione ceteris praeſtiterunt, qui ſane admodum pauci ſunt, ut plane omnia praeclara rara. Nec tamen id cuique mirum videri debet. Nam ſi pauciſſimos in unoquoque genere reperiri contingit, multo minus profecto mirandum eſt, ſi pauci exiſtant praeſtantes Reges, aut Principes, quum per ſummam omnium rerum, quae expeti poſſint, copiam, per ſummas opes, ac licentiam ad ocium, & ad luxum proni ferantur, niſi divino quodam munere, ac naturae beneficio adjuti, & conſervati fuerint. Ceterum ut a Poetis ad Oratores, ab Oratoribus ad Juriſconſultos, a Juriſconſultis ad Medicos, a Medicis ad Pictores, a Pictoribus ad ſingulares Cives, & a Civibus ad Copiarum Duces, ita a Ducibus ad Reges, ac Principes convenienter oratio noſtra delabitur. Principes enim, ac Reges Duces fovent, atque extollunt, & veluti corpus membra, ita omnia genera, quae ſupra memoravimus, regunt, ac tuentur. Nam ſi boni, juſtique fuerint, ii plane omnes bene habent, ac ſibi beati videntur. Sin vero mali, atque improbi; miſeri, infortunatique habentur, quod illorum vitia in eos, quibus impe-

rant

rant, redundare ſoleant. Ab hos igitur noſtra ſe convertit oratio, quibus commemoratis labori noſtro modum ſtatuemus.

LADISLAUS
REX.

LAdislaus Neapolitanorum Rex Ludovicum Regem Ludovici poſterioris patrem, quum nihil paene praeter Cajetam teneret, adoleſcens e Regno, quod ille per occaſionem occupaverat, expulit. Diſſenſione inter ſe, & Joannem Pontificem Max. exorta exercitu comparato Romam cepit, Pontificem Roma pepulit. Ductis deinde in Tuſciam contra Florentinos Pontificis fautores copiis Cortonam cepit. Undeviginti millia equitum praeter pedites in Senenſi Agro habuit, quibuſcum Florentiam Tuſciae caput obſidere conſtituerat, putaturque frenos liberae civitati injecturus fuiſſe, niſi eum in ipſa expeditione mors oppreſſiſſet. Octo, & triginta annos, aut paulo plus natus in ipſo juventae flore, & in magna de ſe expectatione e vita ereptus eſt.

PHI-

PHILIPPUS

MARIA.

PHilippus Maria Mediolanenſium Princeps multa, ac magna per Duces ſuos geſſit. Paternum imperium mortuo Facino Cane paterno Duce, Mediolanum, Comum, Bergomum, Cremonam, Brixiam pulſis Tyrannis, qui ea oppida occupaverant, per Franciſcum Carmagnolam, alioſque Duces ſuos recepit. Paternae ditioni exulibus adjuvantibus Genuam urbem addidit. Cum Florentinis, ac Venetis ſupra viginti annos vario eventu bella geſſit. Armis in Tuſciam translatis magna parte Agri Piſani, ac Piſtorienſis per Nicolaum Picininum capta Florentiam ipſam belli caput tumultu complevit, Italiam omnem conterruit. Svicerorum ferociam per Angelum Pergulenſem uno proelio fregit. Carolum Malateſtam inimicum capitalem, ac Neſtorem Faventinum Principem, atque alios pleroſque Regulos copiarum Duces in pugna captos ſine precio dimiſſos magnis inſuper muneribus affecit. Manfredo Malateſtae ſibi infenſo oppida, quae per Duces ei ademerat, & libertatem reſtituit. A nemine unquam adeo graviter laeſus eſt, quin illi veniam petenti facile ignoverit. Martinum Quintum Pontificem Max. in Conſtantienſi Concilio recens factum Romam revertentem obſequio exhibito Mediolani honorificentiſſime ſuſcepit, atque habuit. Sigiſmundum Imperatorem Coronae gratia Mediolano Romam petentem pecunia adjuvit, eique praeterea pro viribus favit. Legatis quibuſcunque ad ſe euntibus & hoſpitium, & ſumptum large praebuit. Domum ſuam

quaſi

quaſi quoddam Ordinis exemplar eſſe voluit ſermone gravis, conſilio bonus.

AMADEUS

SABAUDIENSIUM

DUX.

INter illuſtres Principes celebrandus eſt nobis Amedeus Sabaudienſium Dux. Hic primum ex Comite Dux factus paternum imperium pacis magis, quam belli artibus longe auxit. Niceam Urbem in Italiae finibus ſitam haud procul a Varo flumine ditionis ſuae fecit. Pedemontanam provinciam, quae ad eum hereditario jure pervenit, ſublatis civilibus diſcordiis, quibus ea provincia diu conquaſſata fuerat, pacavit. Phriburgum urbem amplam in ea provincia ſitam, quam olim Helvetii tenuere, imperio ſuo adjecit. Populares ſuos procul a belli incendiis perpetuo ſervavit nullis hoſtibus, quamdiu vixit, quum omnis reliqua Italia bello flagraret, in ejus agro conſpectis. Filias ſummis Principibus, ac Regibus locavit. Regum item ampliſſimorum filias liberis ſuis uxores dedit. Baſileenſi Concilio contra Eugenium Pontificem Max. per diſcordiam Principum Chriſtianorum Max. Pontifex factus poſt Eugenii mortem Nicolao Quinto in Eugenii locum ſuffecto Cardinalis titulo, ac nomine contentus Pontificatu ceſſit, pauloque poſt jam natu grandior mortem obiit.

CA-

CAROLUS

GALLORUM REX.

CArolus Gallorum Rex quum ab Henrico Britanniae Rege, quam nunc Inſulam Angliam vocant, Philippo Belgarum, nunc Burgundiorum Principe potentiſſimo ſibi adverſo, atque Henrici ſocio, & amico facto, amiſſa Pariſiorum urbe, & maxima Regni parte opprimeretur, videreturque toto Regno ceſſurus virginis primo ruſticanae conſilio, quam ad eum divinitus miſſam Galli putabant, Aurelianenſi urbe, quam Britanni obſidebant, conſervata, multa deinde proelia adverſus hoſtes ſecunda fecit, ingentique exercitu peditum, atque equitum comparato Britannos non ſolum iis provinciis, quas ante bellum poſſederat, a Patre acceptis, ſed & omni reliqua Gallia cedere coegit, Aquitania, quam Galli perdiu amiſerant, in ditionem ſuam redacta.

SIGISMUNDUS

IMPERATOR.

SIgiſmundus Imperator adverſus Zalapinum Maometi hujus, qui nunc contra Chriſtianos bellum gerit, progenitorem ingentes bis exercitus ex variis gentibus comparavit, dimicavitque quam inſtructa acie. Diſſenſionem, quae diu fuit inter Chriſtianos de Pontifice Max. (nam alii Benedicto, alii aliis Pontificibus favebant) ipſe uſque in Hiſpaniam cite-

Digitized by Google

citeriorem, quam Cataloniam appellamus, ea de re profectus ſuſtulit, ac Sacroſanctam Romanam Eccleſiam ad unius Pontificis obſequium, atque auctoritatem redegit. Is primus Poetas more majorum laurea corona exornavit. Romam ſui coronandi gratia proficiſcens, quum per Italiam iter haberet, ab omnibus Principibus, ac Populis Italicis & benigne ſuſceptus, & pecunia adjutus. Cum omnium Italicorum gratia coronatus Hungariam rediit, ibique jam natu grandior diem ſuum obiit.

ALBERTUS

BRANDEBURGENSIS.

Albertus Brandeburgenſis Princeps Natione Germanus finitimis aliquot Regulis in ſocietatem adſcitis adverſus liberas Germaniae civitates bellum ſuſcepit, diuque geſſit. Novies cum hoſte conflixit ſemel modo fortunam adverſam tot proeliis expertus multis millibus captis, caeſiſque. Ad poſtremum hoſtes, ut pacem peterent, compulit. In oppugnatione cujusdam oppidi moenibus, ac foſſa communiti ab ea parte, qua rem gerebat, tertius appulſis ſcalis murum conſcendit, atque inde in oppidum ſe ſe injecit, converſiſque in ſe oppidanis, cum duobus illis modo eorum impetum diu ſuſtinuit. Quum trajecto aliquando flumine hoſtes in citeriorem ripam tranſiſſent, ex inſidiis progreſſus ut primum in hoſtium conſpectum venit, arrepta lancea in eos equo invectus uſque ad ſigna militaria inter confertam aciem fortiſſime dimicans ignotus hoſtibus contendit, eorumque impetum ſolus pertulit, donec accurrentibus ſuis

univerſum proelium commiſſum eſt, in quo victoriam eſt conſecutus. Quum in eo flumine unum modo vadum propter altitudinem eſſet, qua peditatus hoſtium tranſire poſſet, ſagittariorum manu in inſidiis collocata, qui vadum occuparent, poſtquam equites trajecerunt, omnem hoſtilem peditatum repulit.

O D U S

COLUMNA.

ODus Columna Martinus Quintus appellatus in maximis Eccleſiae procellis Pontifex Max. factus diſciſſam primum, ac labantem Eccleſiam multitudine Pontificum inter ſe diſſidentium compoſuit, confirmavitque. Tyrannos, qui in Piceno, in Flaminia, in Umbria Eccleſiae oppida, agroſque occupaverant, copiis, ac Ducibus comparatis expulit tributariis Regulis parere juſſis. Tantum opibus valuit, ut omnes Reges, ac Principes Chriſtiani neglectis ceteris Pontificium nomen uſurpantibus ſe ſe ejus auctoritati ſubjecerunt. Graecorum ad Orthodoxam Fidem adigendorum ſuaſor, atque auctor fuit Oratoribus bis ad Graecorum Imperatorem miſſis, a quibus Graeci perſuaſi ſunt, ut in Italiam ad Concilium proficiſcerentur. Tanta denique eius auctoritas fuit, ut omni prope Italiae praeſcripſerit vitae integritate, ac ſapientia ſpectatus.

THO-

THOMAS

SARZANENSIS.

Thomas Sarzanenſis, qui poſtea Nicolaus Quintus Pontifex Max. vocitatus eſt, philoſophiae, nec minus Theologiae artibus claruit. Earum ſcientiarum doctor Romae, Bononiaeque in magna aeſtimatione eſt habitus. Nicolao Cardinali, qui Bononienſibus praefuit, viro praecellenti ob ingenii, ac doctrinae praeſtantiam uſque adeo carus, ut omnem ei adminiſtrationem rerum ſuarum permiſerit. Opinione quoque bonitatis commendatus poſt ejusdem Nicolai mortem Bononienſium Epiſcopus factus. Legatus ab Eugenio in Germaniam miſſus quum re confecta ex Pontificis ſententia reverteretur, Cardinalis inſignia, priuſquam Romam perveniſſet, in itinere accepit. Mortuo Eugenio ſummo totius Apoſtolici Collegii conſenſu Pontifex Max. creatus eſt, hique honores omnes, quod magis mirandum eſt, illi intra annum contigere. Graecarum litterarum doctos ad ſe proficiſcentes annuis ſalariis ſuſtentare, atque extollere graeca in latinam linguam transferendi negocio iis dato. Innumerabiles prope e Graecia Theologorum, ac Philoſophorum, ceterarumque honeſtiſſimarum facultatum libros nobis antea incognitos ad ſe afferri curavit. Templa aliquot vetuſtate collapſa reſtituit. Palatium Petri Apoſtolorum Principis Templo contiguum mirum in modum ampliavit, exornavitque circumducto antiqui operis muro, quem tamen morte praeventus perficere non potuit. Bibliothecam condidit innumerabilium prope librorum tum graecorum, tum latinorum ingenti ſumptu

miſſis in Graeciam, Germaniam, Galliam viris doctis, qui amiſſos bellorum caſibus auctores conquirerent. Capta urbe Conſtantinopoli a Maometo Turcarum Principe, convocatis totius Italiae Civitatum, ac Principum Oratoribus, & ad Alphonſum Regem miſſis, per Dominicum Capranicenſem Sacroſanctae Romanae Eccleſiae Cardinalem Firmanum ſublatis ex Italia diſcordiis, quo bellum contra Turcas ſuſcipi poſſet, Italicam pacem compoſuit, dumque expeditioni intendit, in ipſo rerum apparatu mortuus eſt.

Commemoratis tempeſtatis noſtrae Viris illuſtribus iis, qui memoriae meae in praeſentiarum occurrerunt, labori noſtro modum impoſiturus in Alphonſo Rege ſcribendi finem faciam. Hic erit ille, qui librum claudet, & in quo ſe noſtra terminabit oratio. Namque eo memorato, in quo uno tam multa virtutum exempla reperiuntur, quam multa vix in ceteris aetatis noſtrae Principibus reperire facile eſt, quippe qui vel ſapientia, vel fortuna, vel gloria cunctos anteire exiſtimatur, haudquaquam par videtur, ut de alio quocumque poſt eum verba fiant. Illo igitur ſuis laudibus ornato, & concelebrato nihil erit, quod a me in hoc libro ulterius quiſquam expectet.

ALPHONSUS REX.

ALphonſus Rex Argonum multis, magnificiſque rebus geſtis glorioſus Joannam Neapolitanorum Reginam a Lodovico Rege oppreſſam in priſtinum ſtatum reſtituit. Urbem Neapolim, Regina poſtea a ſe diſſidente, claſſe e Catalonia profecta vi cepit. Aenariae inſulae appulſa claſſe oppi-

oppidum in ea munitiſſimum expugnavit. Maſſiliam in curſu cepit, ac diripuit. Henricum fratrem e poteſtate Joannis ulterioris Hiſpaniae Regis in Hiſpaniam Citeriorem profectus vindicavit. Lotophagoram Inſulam occupato ponte, quanto Inſula ex continenti aditur, obſedit. Boſſerium Paenorum Regem ponte fugatum caſtris exuit multis militaribus ſignis, ac tormentis ablatis. In Regnum Neapolitanum reverſus multorum Regulorum vocatu per Petrum fratrem Cajetam recepit. Adverſarios apud Troiam, quae eſt in Apulia, collatis ſignis fregit. Ad extremum Neapoli potitus ſpecioſe triumphavit. Antonium Caudolam ad Carpenonum oppidum commiſſo proelio ſuperavit: dimiſſo paterna oppida reſtituit. Eugenii Pontificis Max. rogatu armis in Picenum translatis Franciſcum Sfortiam ipſius Provinciae cedere coegit. Tiburi dum eſſet, mortuo interim Eugenio Pontifice Max., quum ex novi Pontificis electione alii aliis faverent, viderenturque vim facturi, ad Collegium miſit e ſuis ſummos Viros, qui Collegio adeſſent, ſuamque operam, ac vires pollicerentur, omneſque ab injuria deterrerent. Quum ex eo quaeſitum eſſet, quem ex omnibus Cardinalibus potiſſimum deligi vellet, eum, qui Deo placeret, cuique ſors eveniret, reſpondit. A Florentinis laceſſitus ducto in Tuſciam exercitu Caſtilionem, & alia quaedam oppida iis ademit. Pro Venetis tum ſociis, & amicis bello iterum contra Florentinos ſuſcepto Ferdinandum filium cum copiis in Tuſciam miſit. Pacem deinde, quibus voluit, conditionibus, profectis ad ſe adverſariorum Legatis, fecit. Fridericum Imperatorem Romanorum, cui neptem locaverat, viſendi gratia ad ſe profectum una cum uxore miro honore excepit, & cum ampliſſimis muneribus a ſe dimiſit. In omnes gentes liberalis Legationibus quibuſcumque ſe adeuntibus hoſpitia, atque

ciba-

cibaria laute, opipareque exhibet. Philoſophiae, Theologiae, atque omnis antiquitatis ſtudioſus, ceteriſque liberalibus diſciplinis excultus, memoriaque admirabili a natura donatus eruditos quoſque noſtri ſaeculi viros ornat, ac fovet. Urbem Neapolim denuo conſtravit, vicos direxit, molem ampliavit. Librorum volumina prope infinita in Bibliothecam ſuam mirifice ornatam conjecit. Arcem inſtauravit cum arcu triumphali magnificentia, ſtructura, opere nulli omnium in Orbe terrarum ſecundam. Aureis, argenteiſque vaſis, ſimulacriſque, tum gemmis, & cetero Regali cultu omnes ſaeculi noſtri Reges longe ſuperavit. Magnus opibus, major auctoritate a Calixto Pontifice unus ex omnibus Regibus delectus eſt, cui bellum adverſus Maomettum Turcarum Principem maximum, & opulentiſſimum demandet.

FINIS.

BAR-

Digitized by Google

BARTHOLOMAEI FACII ET ALIORUM AD IPSUM EPISTOLAE

I.

BARTHOLOMAEUS FACIUS JO. JACOBO SPINULAE S. P.

QUum tuas accipio litteras, Jacobe cariſſime, ac diſertiſſime, diem feſtum ago, nec unum modo, ſed plures. Nec legiſſe ſemel ſatis eſt: juvat uſque morari, & iterum, atque iterum legere. Mira enim delectatione afficior in tuis legendis, ex quo judicare potes, quantae mihi oblectationis eſſet praeſentia tua mihi optatiſſima, cum qua liberet dies, ac noctes conſumere, & ſtudia noſtra communicare, nec ullus ex omnibus amicis meis profecto eſt, quocum id libentius agerem, quam tecum tum propter tuam in me caritatem mihi non ignotam, tum propter tuam de me opinionem majorem etiam fortaſſe, quam ipſe ſuſtinere poſſim, quam non modo tibi auferri, ſed potius augeri velim, quo .... carum habeas. Et meas tibi redditas fuiſſe laetor, quae jamdiu ad te miſſae ſunt. Quod autem eae tibi & laetitiae, & voluptatis

tis multum attulerint, nihil miror, quum ſciam mea omnia tibi ſemper non jucunditati modo, verum & admirationi fuiſſe, cujus rei cauſa eſt amoris magnitudo in me tui. Nam, ut ait Guarinus clariſſimus praeceptor meus, & balbutientes infantuli diſerti plerumque parentibus videntur ſuis propter delectationem, quam ex ipſis percipiunt. Commentariolos meos quum exornavero, & expedivero (reſtat enim ſcribendum ultimum bellum domui tuae, imo meae calamitoſum) mittam ad te pueri mei manu. Sed quorumdam hominum negligentia, a quibus notitiam rerum eo bello geſtarum requiſivi, eos nondum perficere valui. Sed nuper confeci, atque edidi dialogum quemdam de vitae felicitate, ut paulo ante ad te ſcripſi, & eum huic ampliſſimo Regi inſcripſi, quem optimo viro, ac tui amantiſſimo Giſulfo ad te afferendum dabo. Ipſe enim ad te redire conſtituit brevi. Alia vero mea, quae petis, imo flagitas, quum primum puer potuerit, tranſcribentur, & mittentur ad te. Quod ſcire cupis, rem meam conſtabilivi cum inclyto Rege. Accepi jam ſalarii partem, & domum conduxi. Spero Dei ope rem melius, & felicius mihi in dies ſucceſſuram. Si effecero unum, quod ſpero, perpetuum mihi apud Majeſtatem ſuam domicilium pacatum fore non dubito, & quidem cum dignitate, & emolumento non exiguo. Omnibus autem de rebus, ut evenerint, te continuo certiorem faciam. Nihil vero eſſe ſcito, quod vehementius cupiam, quam tuum ad Urbem reditum, ut propiores ſimus, & crebrioribus litteris inter nos, ut amicitia noſtra poſtulat, agamus. Theodorum, ac Manfredum bene valere gaudeo, quos a me ſalvos eſſe jubeas velim. Vale.

HIE-

II.

BARTHOLOMAEUS FACIUS POGGIO VIRO ELOQUENTISSIMO SALUTEM.

Quum jamdiu cogitarem aliquid ad te ſcribere, quo tecum amicitiam conſtituerem, oblata eſt mihi opportunitas. Jacobus enim Curlus homo diſertiſſimus, & mihi conjunctiſſimus modo a te rediens nuntiavit mihi cupere te, ut aliquid ad te ſcribam, vel ſi id malim, te prius ad me ſcripturum. Credo ob eam cauſam, quod multa, ut eſt hominis conſuetudo in extollendis amicis, in laudem meam dixerit. In quo etſi ſcio eum modum exceſſiſſe, tamen non indignor. Quo enim doctiorem me putabis, eo magis me diliges ſcio. Ego, Poggi optime, atque humaniſſime, etſi facilius mihi eſſe duco reſpondere, quam ad ſcribendum provocare quemquam, tamen quoniam meum eſſe officium puto a me prius ad te litteras dari, nolui expectare litteras tuas, etſi nonnihil vereor, ne expectationi, quam tibi de me concitaverint Jacobi verba, non ſatis reſpondeam. Diligebam te antea tum propter multas alias virtutes tuas, tum vero propter ſummam, & exquiſitam eloquentiam tuam, quae quidem tantam praeſefert facilitatem, atque elegantiam, ut tu in ea re videare omnibus aetatis noſtrae hominibus anteire. Nihil enim oratione tua clarius, nihil terſius, nihil lenius, quod ex pleriſque orationibus, atque epiſtolis tuis, & ex peregrinatione illa Indica a te nuper edita facile judicatur, tum ex Summi, atque Sanctiſſimi Pontificis no-

ſtri egregio de te judicio, a quo in ſummi honoris, & dignitatis gradum evectus es. Sed conſpecta humanitate tua, qua me in amicitiam tuam ſuſcipere haud dedignatus es, amare te coepi. Factum etiam, ut quum antea cuperem Romam videre, nunc vehementius id cupiam tui videndi, & cognoſcendi cauſa. Neque enim adeo delectarent monumenta illa rerum antiquarum quamvis digna ſpectatu ſint, quam tu ipſe, in quo eſt tanta antiquitatis notitia. Sed non ſinunt in praeſentia res hujus inclyti, & excellentiſſimi Regis, quae mihi in manu ſunt, nec meae voluntati morem geram, quod fiet, ubi negotium abſolvero, ſi mihi vita contigerit. Volo enim propter amicitiam tuam, & per te Pontifici Maximo notus, caruſque fieri, quod mihi perſuadeo tua opera me facile, qua es humanitate, impetraturum. Interea vero mutuis litteris crebro una licebit eſſe ſi voles, daboque operam, ut propediem videas Dialogum meum, quem huic Regi dicavi, atque inſcripſi, quod ut faciam hortatus eſt me ipſe Jacobus, qui praeter quam quod ad te ſcribam, te ait expectare aliquod opus meum. Antonius de Mireto Cubicularius Pontificis (ad Dominum illum miſſurus ſum) ejus videndi tibi copiam faciet. Sic enim ad ſe ſcribam. Mittam vero tibi Invectivas quatuor, quas nuper compoſui in Laurentium Vallam hominem arrogantem, tibique cognitum, qui ob id Romam venerat, ut a Pontifice in Ordinem tuum referretur, ſed accepturum, quantum audio, pro meritis ſuis. Videbis praeter animi vitia quam ſit indoctus. Innumerabiles enim errores collegi ab eo commiſſos in quodam hiſtoriarum libro, quem Regi detulit jam ſuper menſes decem, quum tamen plures praetermiſerim, quod ut agerem me impulerunt ineptiae ejus, qui in omnes doctos homines, nec minus in mortuos, quam in vivos morbo quodam animi petulantiſ-

ſime

ſime invehitur. Sed hominis mores noſti. Scientiam propediem noſces. Paediam vero Cyri, quam te latinam effeciſſe, & Xenophonte eloquentiſſimo ſcriptore dignam ex Jacobo cognovi, mirum in modum videre peropto. Quam ſi alii Principi dicare fortaſſe in animo haberes, tuae humanitatis erit, nos quoque tanti fructus non expertes facere. Nam quam praeclara res ſit, ex Ciceronis verbis conjecturam facio, qui ſcribit, ut ſcis, ſe illam totam legendo contriviſſe. Sed hoc hactenus. Tu me, ut coepiſti, fac diligas. Vale.

III.

BARTHOLOMAEUS FACIUS ANTONIOTTO GRILLO CLARO VIRO S. D. P.

Quum eſſem in expectatione litterarum tuarum, vel potius in admiratione quadam, quod mihi nihil tu ſcriberes, reddidit mihi litteras a te Jacobus noſter, quae quo expectatiores fuerunt, eo gratiores, & jocundiores extiterunt. Sunt enim tum ſententiarum gravitate, tum verborum ornatu, & dignitate perquam luculentae. Attuliſti praeterea multas non leves cauſas tui erga me amoris quae utinam tam in me convenirent, quam illae a te humaniſſime, & amiciſſime commemoratae, & perſcriptae ſunt. Aliquanto . . . . & ingenii tui proficiſci cognoſcerem. Sed quis ego ſum, aut quae eſt in me facultas, ut mea tibi amicitia tantopere expetenda fuerit, quum in te alia, & ea quidem illuſtria ſint, quibus a me non diligendus modo, ſed etiam amandus ſis, morum ſcilicet ſuavitas, manſuetudo ani-

mi, generoſitas, liberalitas, amor in litteratos, vel litterarum amatores, quibus non ſolum ornamento, & decori es; ſed etiam te utilem praebes, & opitularis, quibus potes. Mihi vero eſt adeo gratus tuus in me amor, ut nihil habeam, quod praeferendum putem. Quin etiam ſi a te amando vincar, victoriam tuam non moleſte feram, quamquam is ſim, qui numquam pati potui, ut quiſquam me hac in parte ſuperaret. Quod vero certare mecum litteris non recuſas, ſcito te mihi nihil jocundius praeſtare poſſe, quam ſi crebro ad me ſcripſeris, ut poſtquam te videre non poſſum, tuas ſaltem litteras ſaepe videam, & erit tibi haec concertatio non inutilis. Multum enim confert, ut ſcis, utilitatis concertatio, frequenſque ſcribendi uſus. Quin etiam ſi me viceris, gaudebo, & patriae noſtrae congratulabor, quod talem adoleſcentem mox in clariſſimum virum evaſurum ſortita ſit. Sed haec hactenus. Scripſeram tibi de Cornuto, quoniam audieram ex Jacobo noſtro tui ſtudioſiſſimo te illum habere. Ipſe enim eſt ratus illum Cornutum, quem tu ſcribis, eſſe barbarum quemdam Cornutum elegantem. Et ſane mirabar illum penes te eſſe, & me id neſcire, praeſertim quum diligentiſſime non perquiſierim modo, ſed indagaverim, & perveſtigaverim, quum Genuae eram, num ullus in tota urbe eſſet, & nullum eſſe comperi. Itaque tibi pro tua tam benefica, & mihi gratificandi cupida voluntate, ſi id noſtra patitur amicitia, gratias ago, nec verum eſt, quod illum barbarum ad me mitti velim. Ejuſcemodi enim barbariem ſemper odivi, & abhorrui, & barbaris hominibus tractandam reliqui. Vererer, ut illam attingerem, ne contagione ejus fierem barbarus. Cum Jacobo vero homine cultiſſimo ſcito me ita conjuncte, atque amanter, ut cum fratre, vivere, a quo velim ſcias te adeo diligi, ut neminem omnium ſuorum a ſe tibi in amore praeſertim praeferri putem. Vale.

IV.

IV.

HIERONYMUS GUARINUS UTI SUO FRATRI AMANTISSIMO BARTHOLOMAEO FACIO.

SCripſi ad te ſuperioribus diebus, quum Epiſcopus Mutinenſis hic eſſet, in tuarum reſponſionem, quas ad me Ferrariam dederas. Sed quum nihil ad ea reſcribas, quae propter tuarum reſponſionem inſcripſeram, cogito te minime litteras ipſas accepiſſe. Ideo ne illae in aliorum cognitionem perveniant, gratiſſimum mihi feceris admodum, ſi exquiſitis, ac perveſtigatis omnibus illis banchis illas reperies, ac plures, quas ad Epiſcopum dederam, quibus perlectis vel Veneris dona marito, vel ...... De tua meis in rebus diligentia tibi plurimas habeo gratias, & ſi quando eveniet occaſio, tibi referam. Nihil enim, ſi unus ex ipſis fratribus tuis, vel ſi ipſe eodem ventre, quo ego, genitus fores, amplius ...., & commodum valuiſſes. Tuo pro arbitrio utitor, ubi .... pares officio tuo vices reddidero. Id accidet duabus de cauſis ... & quod altius tibi viget ingenium, prudentia..... Accepi litteras, quibus ſcripſit ad kalendas Julias redditum eſſe ſibi opuſculum tuum cum litteris ob ipſius delatoris neſcio an diligentiam, an ignaviam appellem. Ipſius pariter haec clauſula eſt: Libellum ipſum magna ex parte tranſcurri ſumma cum voluptate ob ipſius auctoris facundiam, & copiam diſputationis. Diſſeminabo eum. Magiſter Hieronymus Caſtellus illum habere ardet. Ille autem Hieronymus Caſtellus phyſicus eſt vir graece, & la-

& latine eruditiſſimus. Te oro, mi Faci, ut ſaepius ad me ſcribas, quoniam ſingularem ex litteris tuis laetitiam accipio cum & egregiam eruditionem, tum ſingularem in me benevolentiam nuntiantibus. Vale, & me quod facis, ama.

V.

BARTHOLOMAEUS FACIUS HIERONYMO GUARINO FRATRI SUAVISSIMO S. D. PLURIMAM.

MAgnam mihi voluptatem attulerunt litterae tuae, quas mihi nudius tertius Angelus a te reddidit, & eo majorem, quod diu in earum expectatione fui. Vehementer enim ſcire cupiebam ubi eſſes, quid ageres. Nam ut ſcias, litterae illae, quas ſcribis te miſiſſe colligatas cum litteris ad Epiſcopum Mutinenſem, ad me non pervenerunt, nec ſcire potui, in cujus manus pervenerint. Tu reminiſce, cui illas commiſeris, & cui eas credi juſſeris. Ubi ſis intellexi ex litteris tuis. Sed quis ſit rerum tuarum ſtatus ſcire non potui, niſi quantum ſcribis te eſſe apud Reverendum Patrem Vicecancellarium Pontificis. Credo enim te apud eum Secretarii tenere locum. Id tamen ſciam libens per litteras tuas, & an locus iſte optatis tuis reſpondeat. Gaudeo vero me ſatisfeciſſe voluntati tuae in his, quae mihi mandaveras. Sed ſcito omnem gratiarum actionem tuam apud me ſupervacaneam eſſe. Ego enim pro paternis in me beneficiis illis quidem maximis, & immortalibus, proque tua in me pietate mihi perſpecta, & co-

cognita tantum tibi debere me ſentio, quantum ipſe perſolvere nullis officiis poſſem. Sed hoc hactenus. Quod Dialogus meus de vitae felicitate patri tuo optimo, ac graviſſimo viro probetur, omnibus doctiſſimis viris probari ſpero. Sed miror nimis Roberti Storgae negligentiam in eo patri oſtendendo, & litteris meis reddendis, praeſertim quum promiſerit, ſe eum, ut primum Ferrariam perveniſſet, patri oſtenſurum. Sed fortaſſe fuit foris, nec fuit id poteſtatis ſuae. Placuit videre clauſulam illam, qua mentionem facit de opuſculo ipſo pater, etſi ſcio multum amori tribui, fructuſque ſuos ſibi ſuaviores videri. Quod rogas ad te ſaepe ſcribam, id faciam, nec ad me unquam fruſtra ſcribes. Ego enim non minorem ex litteris tuis, quam tu ex meis, jocunditatem capio. Mittam vero tibi propediem, ut ſpero, Invectivas quaſdam, quas nuper confeci in illum inſanum Laurentium Vallam, qui patris mei auctoritatem aſpernatur, ac pro nulla habet, in cujus libro de rebus geſtis Regis Ferdinandi patris Divi Alphonſi plura profecto vitia reperi, quam enumerare quiſquam poſſit. Omnes ſibi inimicos eſſe vult, cum omnibus pugnat. Sed ſpero ejus ignorantiam, quae adhuc latuit, detegere. Tu vale, meque ama, & quum ad eum ſcribis, me fac diligentiſſime commendes, meque ab eo litteras expectare ſignifices. Ex Roma.

VI.

Digitized by Google

VI.

BARTHOLOMAEUS FACIUS FRANCISCO RAIMO VIRO SPECTATISSIMO S.

REdditae ſunt mihi nuperrime literae tuae, quarum deſiderium, & expectatio me diu tenuit, & verebar interdum, ne tuae ſerae reſponſionis cauſa eſſet tabellionum perfidia, quibus litterae meae commiſſae fuerant. Nec tamen me multum fefellit ſuſpicio mea. Nam e binis, quas ad te diverſis diebus miſi, non intelligo per litteras tuas, niſi alteras tamdem ad te allatas eſſe. Nam & per hoſpitem tuum Balearem primo ad te ſcripſi, nec multo poſt per tabellarium. Sed ſatis habeo, ſi modo alterae ad te delatae ſint, quae tibi argumento fuerunt perſeverantiae mei erga te amoris. Itaque ſcias haſce tuas tantum mihi jocunditatis attuliſſe, quantum eae ſolent, quae diu optatae ſunt. Nihil enim jocundius eſſe potuit commemoratione illius noſtrae diuturnae conſuetudinis Puteolanae, & verſificationis ſuaviſſimae, qua ſtans pede in uno pluſquam quingentos verſus interdum effingebas praeſente Jacobo Curlo noſtro viro claro, & tui obſervantiſſimo. Nihil praeterea dulcius ſignificatione tui erga me amoris, etſi mihi erat perſpectiſſimus, & luce meridiana, ut dici ſolet, clarior. Is enim mihi in meis rebus, in quibus de honore, & de utilitate mea agebatur, experimento notus erat. Sed cupio & per litteras tuas atteſtatam eſſe tuam erga me benevolentiam, & caritatem, ac praeterea tuum de me judicium apud eos, qui neſciunt, quantum me ames, quantique me facias. Incredibile eſt enim quanti

exi-

Digitized by Google

exiſtimem tanti viri amorem, quia intelligo propter opinionem, quam de tua virtute, atque ſingulari judicio homines ſuſceperunt, maximo decori mihi eſſe amicitiam tuam. Nam qui in clariſſimorum hominum, ac Principum gratia conquieſcit, is certe probatus, & ſpectatus haberi ſolet. Quapropter ſcito nihil eſſe mihi tua in me caritate ſuavius, nihil ejus rei ſignificatione optabilius. Facile vero patior te in laudandis operibus, & moribus meis nimium eſſe, quod his litteris effeciſti, quibus tantum mihi tribuis, quantum cuivis eruditiſſimo, & praeſtantiſſimo viro aetatis noſtrae tribui liceat. Scio enim, quid ſit amor, & quas vires amicitia habeat, & quam ſemper in majus ſe efferat, ſi quid in animo boni eluceat. Sed laudes de me tuas non tam benefacti teſtimonium, quam ut ad benefaciendum incitamentum accipio, & quaſi neceſſitatem quamdam ad ea meditanda, agendaque, quae mihi honorem, & laudem parere valeant, in quo medius-fidius jeci omnes curas, & cogitationes meas. Nam quod me hortaris, ut proſequar opus tua diligentia incoeptum, facis amice, & pro officio. Tuarum enim partium videtur eſſe, quem ad incipiendum opus incitaſti, eumdem ad perficiendum adhortari. Ego enim etſi fueram mea ſponte facturus, tuo tamen hortatu id ipſum faciam nonnihil obnixius, ne quid de me mentitus eſſe videaris. Nec me labor ullus deterrebit. Atque utinam dignus evadat labor meus opinione tua, & Regis gloria! Sed ſi in ea re expectationi tuae, fortaſſe & Principis ſatisfacere non potuero, rerum geſtarum magnitudo, & dignitas me tuebitur. Cujus enim Regis res geſtae toto Orbe pares, qui Johannam Reginam obſidione liberavit, Maſſiliam cepit, Mauritanum Regem proelio fudit, Neapolitanum Regnum ſubegit? Haec pro dignitate litteris mandare, & ornare non mediocris profecto eſt ingenii, atque do-

ctrinae. Contendam tamen, ne & ego temere rem tantam ſuſcepiſſe, & tu inconſulto tantum pondus humeris meis injeciſſe videaris, maxime quod te habiturus ſum mearum laudum praeconem, qui & ſummi judicii, atque auctoritatis ſis, atque amantiſſimus mei. Sed de his ſatis ſit dictum. Invectivas in Vallam tranſcribi curabo, ut primum potuero. Sunt enim confectae, & mittam etiam ad te cum his fortaſſe Dialogum *de vitae felicitate*, ne rerum mearum expers ſis. Jacobus Curlus victus ſuorum precibus .... venit huc nuper ad Regem, & adhuc non abiit. Gratiſſime habuit, quae de ſe ſcripſiſti, tuaeque humanitati gratias agit, ſeque commendat vehementer, atque offert in omnia, quae poſſit. Quod reliquum eſt, te rogo, ut Bartholomaei tui memoriam perpetuo conſerves, quando apud te nulla intermiſſio recordationis de te ſit. Vale vir integerrime Valentinorum decus. Ex Neapoli.

VII.

FRANCISCUS BARBARUS BARTHOLOMAEO FACIO S.

CL. Vir Antonius Panormita Legatus Alphonſi Regis ad inclytum Senatum noſtrum, quum de ſtudiis humanitatis, & doctrinae pro noſtra conſuetudine loqueremur, ſignificavit mihi curam tibi publice datam eſſe ſcribendi vitam illius Regis, qui per ſe tam illuſtris eſt domi, & foris, pace, belloque, ut tibi merito gratulandum ſit extra ordinem eam tibi cauſam oblatam eſſe, in qua nemini deeſſe oratio poſſit. Nam quum ingenio excellas, & ut audio, facultate, & copia ad veterum Scripto-

ptorum laudem proxime accedas, gratulor tibi, vereque gratulor te deſignatum eſſe ad ornandum excellentiſſimum Regem; qui ſuis inſtitutis, & artibus, & gloria rerum geſtarum non ſe ipſum ſolum; ſed etiam ſcriptores rerum ſuarum illuſtrare poſſit ad memoriam poſteritatis. Quam amplum, & honorificum fuerit artificibus illis Alexandri Macedonis decretum ſatis conſtat, quum ab Apelle ſe potiſſimum pingi, a Lyſippo fingi, a Pyrgotele ex aere duci juſſit, tum quia illorum artem etiam ſibi gloriae fore declaravit, tum quia neminem ejus imaginem pro dignitate exprimere poſſe, cenſuit, niſi qui tantum in illo genere profeciſſet, ut alios omnes ſine ulla dubitatione ſuperaret. Quare tibi non minus gloriari licet, qui tanti Principis judicio, & teſtimonio non corporis ſimulacrum, ut illi, ſed effigiem animi, & conſilii ſui, ac virtutis dignus habitus es, ut ita dicam, conſecrare memoriae ſempiternae. Ariſtoteles Philoſophus, ut noſti, Protogeni ſuaſit, ut Alexandrum Magnum pingeret, ſi commemorationem ſui nominis cum omni poſteritate adaequandam eſſe judicaret. Quapropter quum ultra decora, ac inſignia regia fere omnia in Alphonſo plena ſint laudis, & gloriae, nullum prope honorificentius tibi ſcribendi argumentum proponi potuiſſet, in quo ornando, ac amplificando, ſicut Phidias in Minerva, nomen tuum apud poſteros commendares. Ceterum quia Rex ipſe quodammodo decus eſſe videtur ſeculi noſtri pro ſuis meritis, & pro ſtudiis litterarum, quae ſunt apud eum in magno honore, & magna auctoritate, quantum licet, & integrum eſt, laudi ſuae favendum puto. Ideoque te hortor, ut non ſicut Apelles Veneris caput ſumma arte perfectum, reliquam autem partem corporis, ſicut ſcriptum eſt, inchoatam reliquit, ſed ita mores illius Principis, & actiones explices, ſic caſus adverſos cum ſecundis rebus conjungas, ut rerum

Digitized by Google

varietates, viciſſitudineſque fortunae non tam delectare, quam docere nos poſſint res humanas mille caſibus ſubjectas eſſe. Nec parum profeciſſe te putes, ſi ſtatua haec litteraria, ut ita loquar, togata, & militaris eleganter ſcriptis illuſtretur, ac celebretur tuis, quae ad laetitiam animi, & ad memoriae dignitatem tantum habet in ſe ſplendoris, ut fere nulla honoris inſignia, nulla monimenta virtutis ſibi conferri poſſint. Illa enim nulla obſcuratura eſt oblivio: haec autem poſtrema interire poſſunt tempeſtate, vi, vetuſtate. Quae quum ita ſint, nihil praetermittendum eſt diligentia, ut dicendo immortalitatem quodammodo dare, & accipere poſſe videaris. Ad quam rem recte, & ordine perficiendam maturandum, non feſtinandum eſt, quia, ut Octavii Caeſaris verbis utar, *non ſit ſero, quod ſit bene*. Zeuxis quoque pictor ille nobiliſſimus, ut dicere ſolebat, licet in multo tempore pingeret, nunquam ſe tarde pingere putabat, quando ſumma arte faciebat opera, quae ſemper eſſe duratura judicaret. Plura forte ſcripſi, quam debui. Sed ea in bonam partem accipies, quia licet nulla inter nos familiaritas intercedat, haec tamen gratulatio hiſtoriae tuae teſtis erit ſententiae noſtrae, & meae erga te voluntatis. Vale, & ad illuſtrandum Alphonſum Regem non alios ſolum, ſed etiam te ipſum vince. Venetiis XV. Kal. Septemb. 1451.

VIII.

VIII.

BARTHOLOMAEUS FACIUS FRANCISCO BARBARO VIRO PRAECLARISSIMO S.

MUlta ſunt Antonii Panormitae in me officia mihi quidem gratiſſima, & acceptiſſima, ſed nullum profecto jucundius, quam quod is Venetiis rediens tuam mihi amicitiam reportavit, quae mihi quidem erat optatiſſima. Nam quum ſingularem eruditionem, atque eloquentiam cum ſumma probitate conjunctam tum ex multorum ſermonibus, tum ex ſcriptis tuis illuſtribus, quae cum tua ſumma gloria non per Italiam modo, verum etiam per omnem Terrarum Orbem circumferuntur, & lectitantur, in te ineſſe jamdiu accepiſſem, vehementer profecto cupiebam aliquam mihi opportunitatem dari conciliandae mihi benevolentiae, & amicitiae tuae. Noſti enim in rebus humanis nullam rem aeque, atque virtutem amabilem eſſe, nullam quae magis hominum mentes ad diligendum moveat, atque impellat. Sed ſane quamvis nulla eſſet inter nos amicitia, te tamen diligebam, tuoque nomini, & gloriae in omni ſermone meo favebam, laetabarque quotiens de tuis laudibus quicquam audiebam Italiae meae congratulans, quod tales viros tam eruditos, tam diſertos hac mea tempeſtate Dei benignitate peperiſſet. Dices fortaſſe: cur non me prior in amicitiam per litteras tuas provocabas? Certe id ſaepe aggredi volui, ſed tenuit me pudor quidam meus paene ſubruſticus. Veritus ſum ego adoleſcentior hominem ſenem ſumma gravitate, auctoritate, & gloria praeditum provocare. Itaque & Panormitae gratias habeo

beo, qui amicitiae meae fundamenta jecit, & tibi, qui quaſi praecurrens me officio antevertiſti, tibique illud decus polliceor, quod unum & polliceri, & praeſtare poſſum, ut nullo unquam tempore tuo honori, dignitati, & gloriae defuturus ſim. Ceterum vereor, ne multo plus de me tibi perſuaſeris ex Antonii ſermone, qui in amicorum laudes ſolet eſſe profuſior, quam praeſtare ipſe valeam. Quod ſi contigerit, non mihi vitio, ſed ejus in me amori aſſignabis. Is enim, ut multum me amat neſcio qua de me opinione, quod putet ſe aliquid in me videre, & agnoſcere, quod ipſe nec video, nec agnoſco, ita in omni ejus ſermone me multum extollit, & praedicat. Quod mihi ob id gratularis, quia mihi datum ſit negotium ſcribendi res ab Alphonſo Rege geſtas, quoniam illum exornans me ipſum exornem, ejuſque nomen immortalitati commendans nomen meum immortale redditurus ſim, facis amice. Fateor quidem id, quod ipſe ſcribis, Apelli, Lyſippo, Pyrgoteli, atque Protogeni ſummis artificibus magno honori fuiſſe, quod Alexandrum illum Magnum eorum operibus poſteritati notum fecerint, nec mihi proponi potuiſſe materiam, in qua mihi minus deeſſe poſſit oratio. Nec praeterea ſum neſcius Q. Curtium non minus fere nobilitatum eſſe, quod Alexandri res geſtas litteris mandaverit, quam ipſum Alexandrum, quod illius ſcriptis commendatus, ac celebratus fuerit, nec minus Livium Populi Romani rerum geſtarum ſcriptione, quam Populum Romanum ejus viri laboribus, & praeconiis, ſummaque eloquentia illuſtratum eſſe. Ceterum hi tantum in ſua quiſque arte, & facultate praeſtiterunt, ut nihil his de alieno judicio timendum videatur. Tantam enim in eo genere auctoritatem conſecuti erant propter alia multa, quae prius ediderant, ut eorum opera in medi-

dium proferre dubitare non poſſent. Sed quum rei mihi injectae pondus, quum hiſtoriae dignitatem, majeſtatemque animadverto, fit, ut multorum virorum, quos eruditiſſimos haec aetas tulit, judicia pertimeſcam. Nec enim opus meum hujuſmodi eſſe agnoſco, ut qualiter Minerva illa Phidiae in arce, ut dicit Cicero, poni poſſit, quoque magis rerum geſtarum magnitudinem animadverto hujus inclyti Regis, hoc magis magiſque, ne tanto muneri non ſatisfaciam, metuo, quamquam graviſſimum Antonii judicium aliquam partem hujus timiditatis meae mihi adimit, qui me hortatus eſt, ut ipſum in lucem proferam. Quod ſcio pro ejus in me amore haud mihi ſuaſiſſet, ſi mihi dedecori fore ejus editionem exiſtimaſſet. Ego tamen, quod hactenus feci, conari poſthac non deſinam, quantum ingenii vires ſuppeditabunt, Regem hunc de me optime meritum aeternitati conſecrare. In quo ſi fortaſſe defecero, non ſibi voluntatem meam, ſed ingenii vim potius deſuiſſe teſtabor. Quod ſi quis eſt, qui ſe haec elegantius litteris mandare poſſe confidat, hanc mihi ſaltem habere debebit gratiam, quod ſibi iter, ut ajunt, per quod ei eundum ſit, patefecerim. Sed quoniam videris putare Regis vitam a me ſcribi, meque ob id hortaris, ne tantum vitam, & mores ejus, ſed multo magis facta conſcribam, nec faciam, ſicut Apelles ille, qui Veneris caput, reliqua corporis parte praetermiſſa, ſumma arte pinxit, ſcito me non vitam ejus, ſed res a ſe geſtas ſcribere propoſuiſſe. Ubi tamen incidunt aliqua de ejus laudibus, eos locos exornare, ac amplificare ſtudeo. Vita vero, & laudatio quaſi duo genera a rerum geſtarum narratione ſeparata, ſint vel alterius nominis, vel certe alterius temporis. Quod autem in poſtrema epiſtolae tuae parte benevolo, & paterno animo me hortaris, ne feſtinem ad

ope-

Digitized by Google

operis editionem, ſapienter mones. Sed ita tempora tulere, ut mihi integrum non fuerit, quod mihi ipſe propoſueram. Sciebam quidem feſtinationem improvidam eſſe, & coecam, ut inquit apud Livium Fabius, & Horatium praecepiſſe, ut opus nonum in annum prematur. Sed non potui mihi obtemperare. Itaque libros ſeptem jam edidi, quibus continentur, quae Rex geſſit a primo ejus in Italiam adventu uſque ad eum diem, quo triumphum egit. Nunc bellum Picenum in manu eſt. Poſt Florentinum aggrediar. Quae vellem poſſes videre, quoniam ipſe ut Regis laudum cupidiſſimus per litteras tuas mihi es viſus, quas alioquin Regi oſtendam, ut intelligat, quantum is tibi debeat, quantumque ab eo amandus ſis, a quo tantis laudibus afficiatur. Vale, meque tuum habe, atque ab Antonio meo tui amantiſſimo ſalve. Ex Neapoli 26. Septembris 1451.

IX.

POGGIUS P. S. D. BARTHOLOMAEO FACIO V. CL.

FEciſti perhumaniter, atque optime, mi Bartholomaee, qui me ad ſcribendum tuis ſuaviſſimis litteris provocaſti. Ego enim jam ſive aetatis vitio, ſive occupationibus, quae vel paucae, vel leves pluſquam antea ſunt moleſtae, factus ſum in ſcribendo remiſſior. Accedit, quod munus officii mei totum in ſcribendi cura verſatur. Quo fit, ut faſtidioſior ſolito is labor aliquando mihi videatur, ut non tantum non provocem litteris, ut ſole-

Digitized by Google

ſolebam, alios, ſed vix jam reſpondeam provocatus; Sed tua epiſtola ea humanitate & benivolentiae ſignificatione ſcripta eſt, ut quemvis ignavum, & etiam ſomnolentum ad reſponſionem excitare poſſe videatur. Ago gratias Jacobo noſtro, qui mihi talem amicum ſua diligentia comparavit. Nam de eloquentia, & doctrina tua jam non amplius teſtimonium Jacobi requirendum eſt, quum tuae litterae ſint teſtis copioſiſſimus parum illum pro hominis dignitate, ac meritis dixiſſe. Non adulandi cauſa loquor, nam abfuit a me longiſſime ſemper id vitii genus, ſed tui adhortandi ad eum curſum, quem coepiſti, quum videam tantum in eo te profeciſſe, ut vel paucos, vel neminem auderem excipere, qui tibi eſſent eloquentia, & ſcribendi ſuavitate comparandi. Sed paucis haec ſcribenda ſunt, ut omnis aſſentandi ſuſpicio abſit. De me id tantum dicam. Conatus ſum imitari eos, licet longo ſequar intervallo, qui dicendi laudem meruerunt. Qua in re ſi quid profeci, gaudeo non omnino operam, & impenſam perdidiſſe. Video te cupere Urbem viſere, & certe niſi incoeptum opus, ut ais, impediret, hortarer te ad inſpiciendas reliquias ejus urbis, quae quondam Orbis lumen praeclariſſimum fuit. Equidem quamvis in ea jam pluribus annis ab ipſa juventute fuerim verſatus, tamen quotidie tamquam novus incola tantarum rerum admiratione obſtupeſco, recreoque perſaepe animum viſu eorum aedificiorum, quae ſtulti propter ingenii imbecillitatem a Daemonibus facta dicunt. Ceterum omnia in tempore agenda ſunt. Dialogum tuum expecto ſumma cum aviditate, & item Invectivarum libros in eum, quem nominaſti, de quo tantum dicam, duas res verba ſcilicet, & ſcripta eſſe mentis interpretes, quae animum noſtrum deſignent, quae quoniam palam ſunt, facile judicium ſuum audientibus, & legentibus praebent. Cyrum Xenophon-

phontis abſolvi, quem cui dedicem, incertus ſum. Multi enim multa ſuadent, prout quemque animi affectio trahit. Ceterum Rex tuus litteris deditus eſt prae ceteris Regibus Orbis, & in talem Regem hic liber, ubi agitur de inſtitutione juſti Principis, optime quadraret. Locutus ſum cum Jacobo circa eam rem quaedam, ad quae ſe reſponſurum pollicitus eſt. Verum, quod ſatis miror, nil ſcripſit, ut adhuc pendeam animo, quid ſim acturus. Utcumque tamen liber edetur, inprimis ad vos veniet. Cicero id opus laudat, ſed ab eo traductum ad Latinos nondum apud noſtros legi. Tu autem, ubi id repereris, ſcribas ad me velim. Scio, & teſtis eſt inter ceteros Beatus Hieronymus, Ciceronem luſiſſe in Oeconomico Xenophontis, quem librum latinum fecit in adoleſcentia. Paediam vero ab eo traductam non memini me legiſſe. De me autem tibi polliceor me tuum eſſe penitus, cujus vel opera, vel diligentia utaris arbitrio tuo. Id certe agam, ut exiſtimes me a nemine vinci in amoris officio, aut benivolentiae. Vale, & me ama.

X.

POGGIUS P. S. D. BARTHOLOMAEO FACIO V. CL.

SCribis in epiſtola, quae mihi nudius-tertius reddita eſt, ternas jam poſt Nicolai Pontificis aſſumptionem litteras ad me dediſſe. Ego unicas tantum habui, quibus e veſtigio reſpondi. Si vero ſaepius ad te non ſcripſi, tribuas occupationibus meis & privatis, & publicis, quae me admodum

73

dum diſtrahunt, & ut plurimum in ſcribendo conſumuntur. Laudas multis verbis Xenophontem meum, quem ad manus tuas, Antoniique noſtri viri excellentiſſimi dicis perveniſſe. Eſt mihi gratum probari opus a vobis praeſertim doctiſſimis viris: ſed vereor, ne veſter in me amor librum efficiat gratiorem. Scis enim quae ab amico proficiſcuntur, ſpecioſiora videri ſolere. Sed praeclarus eſt auctor, qui, ut ſcribit Cicero noſter, librum ſuum edidit non ad veritatem hiſtoriae, ſed ad normam juſti Imperii. Eſt enim in Xenophonte inſtitutus Rex, qualis nunquam fuit, quemadmodum ſapiens Stoicorum, qui adhuc nuſquam eſt repertus. Si tamen traductio placet vobis, eſt, ut ſperem ab reliquis non reprobari. Quod vero ſcribis detractum eſſe operi apud Regem, intelligo quos deſignes. Sed omnis ea mea eſt culpa, qui librum in ejus nomen edidi, qui in eo judicando magis aliorum, quam ſuo judicio ſtaret. Fama hominum me decepit extollentium illius Principis doctrinam. At, ut video, in probandis ingeniis non ſua, ſed ceterorum ſententia, & vocibus, quod imperito cuique accidit, movetur. Nullum eſt in eo bonorum, aut malorum, ut video, diſcrimen. Ad oſtentationem quaedam facit, quibus videatur doctis viris favere. Sed ego librum edidi, quem non indocti, rudes, improbi, pernicioſi, ſed ingenio, doctrina, virtute praediti judicarent. Horum ego ſententiam magni exiſtimo: aliorum, qui vitam funeſtam, flagitioſam, turpem ducunt, licet ſibi docti videantur, verba crepitibus aſinorum ſimilia eſſe arbitror ducenda. Verum ſentiant omnes, ut libet: ego quod potui expreſſi in communem utilitatem. Si quibus id non ſatiſfacit, ipſi edant meliora, neque latrando, ut inermes caniculi, tempus abſumant. Mihi tamen credas velim, ſi res mihi eſſet integra, virum deligerem, qui ſtultorum vocibus minime moveretur. At ego in eo, quod po-

Digitized by Google

tero, mihi ipſi proſpiciam, oſtendamque, ſi vixero, me magis aliorum ductum erroribus, quam ex animi ſententia non recte ſenſiſſe. Quod de Antonio noſtro Panormita aſſeris mihi eſſe amiciſſimum, id quidem jamdudum perſpectum eſt mihi. Senſi enim ſemper me ab eo amari, & ego illum ut virum noſtrae aetatis doctiſſimum ſemper obſervavi, quem verbis meis ſalutes oro. Vale, & me ama. Romae die XVIII. Novembris.

XI.

POGGIUS PL. SAL. DICIT BARTHOLOMAEO FACIO V. CL.

DElectarunt me mirum in modum litterae, quas pridem a te accepi ſumma cum gravitate & verborum, & ſententiarum ſcriptas. Id vero mihi jocundiſſimum fuit, quod quotidie magis perſpicio amorem in me tuum, quem ego tanti facio, ut illum omnium principantium benivolentiae judicem eſſe praeferendum. Diſputas ferendam, contemnendamque eſſe ſtultitiam nonnullorum, quorum opera maxime conſumitur in detrahendo, & recte quidem ſentis. Sed Principum non ſolum ferenda, ſed declinanda eſt, quum ſit perniciosior, & majori damno conjuncta. Nihil eſt ſtultitia, mihi crede, perverſius, quae omne rectum judicium adimit, & ubi poteſtati conjuncta eſt, in omne facinus erumpit. Sed ego ceteris ſtultior meo merito judicari poſſum, qui parum providens fui in deligendo homine, qui ſtultorum vocibus magis, quam veri teſtimonio moveretur. Rumor, & multorum verba, qui videbantur ſapere, me

Digitized by Google

me impulerunt, ut eorum voluntatem praeferrem opinioni meae. Gaudeo tamen mea conſcientia, & recte feciſſe magna conſolatio eſt. Fero apud doctos ingenii, & laboris ſatis egregium proemium, quum ſuis laudibus ornant opus noſtrum. Si rudes, atque ignari illiberales ſunt, haudquaquam mirum videri debet. Non eſt enim cujuſque recte ſapere, nec virtus, aut ſcientia ſequitur domicilia potentiorum. Tibi quid ſperandum ſit vides edoctus exemplo meo. Peſſima res eſt ingratitudo, & omnium vitiorum altrix, neque ulla in eo virtus eſſe poteſt, in quo id vitium regnet. Itaque ſi vixero, utemur palinodia, quum tempus erit. Vale, & me, ut facis, ama. Romae III. Kal. Martias.

XII.

POGGIUS PL. SAL. D. BARTHOLOMAEO FACIO V. CL.

NOn ſcripſi ad te poſteaquam relicta Romana Curia in patriam redii, propterea quod & id temporum conditio prohibebat, & nihil interim acciderat in rebus meis, quod poſtularet officium litterarum. Nunc vero mutatis in melius rebus quum liberior adſit te litteris provocandi facultas memor neceſſitudinis noſtrae, tuaeque priſtinae in me benivolentiae apprehendi occaſionem, quae ſe obtulit ad te ſcribendi. Scripſi Sereniſſimo Regi Aragonum epiſtolam, in qua laudo ſummam ejus in conſtituenda Italiae pace ſapientiam, atque exhortor ad capeſcendam maritimam expeditionem contra Teucrum Fidei noſtrae hoſtem perniciosiſſimum. Hanc epi-

ſtolam (nam ejus exemplar ad te mitto) communices velim cum viro praeſtantiſſimo Joanne Panormita , & ſi vobis videbitur digna , quae Regi detur legenda , capta temporis opportunitate , quae maxime in rebus omnibus obſervanda eſt , eam ſuae Serenitati meo nomine tradas , & quo animo illam accipiat , ac legat , quidve de illa ſentiat , ad me perſcribas , & ſimul addas judicium tuum , quod facio plurimi , quum ſciam illud ab optimo animo , & ex veritate profectūrum . Vale , & quid agas , quid ſcribas , quid ſperes de futuris , me facias certiorem . Erunt mihi tuae litterae , prout noſtra amicitia poſtulat , admodum gratae . Commenda me Regiae Majeſtati . Florentiae die ſecundo Martii .

XIII.

BARTHOLOMAEUS FACIUS POGGIO SAL. DICIT.

GRatiſſima mihi fuit epiſtola tua , in qua primum commemoratio illa amicitiae noſtrae valde me delectavit . Ego enim tuum in me amorem non modo maximi facio , ſed & omnibus notum eſſe percupio . Quapropter non dolere non poſſum me tamdiu tuarum litterarum fructu amoris tui erga me teſtium privatum eſſe , Simul laetor nunc pacis beneficio eam nobis facultatem redditam eſſe , ut ſcilicet mutuis litteris inter nos uti poſſimus , quam nobis bellum eripuerat . Tu vero magis a me deſiderari ſcito litteras tuas , quo longius a nobis nunc abes . Nam quum adhuc Romae eras , videbar mihi tecum una eſſe propter frequentes , ac prope

pe

pe quotidianos de te nuntios. Laudo vero, ac probo conſilium tuum, qui in patriam tamquam in portum te receperis, ubi ſenectutem tuam, & reliquam aetatem quiete, ac placide agas, gratulorque felicitati tuae, qui inter tuos tam honeſtum, tam utilem locum ſis conſecutus. Accepi ſimul cum litteris tuis epiſtolam, quam Regi ſcribis. Sed exemplar ejus, quod a te mitti ſimul ſcribis, non accepi, quod oblivione factum puto. Et quoniam jubebas exemplar legeremus Antonius, & ego, antequam epiſtola redderetur, etſi epiſtolam tuam talem eſſe non dubitamus, quae poſſet doctiſſimis viris probari, illam ſolvimus, ac legimus. Deinde exſcribi pulcherrimis litteris curavimus. Ita enim viſum eſt Antonio gloriae tuae cupidiſſimo, ut illam Rex ſi legere ipſe vellet. Itaque exſcriptam manu Jacobi Curuli in membranis ad Regem detulimus una cum Matthaeo Malferito, quia Rex forte eo die aucupatum ierat in proximas paludes, qui ut agnovit quid ad ſe afferremus, confeſtim, ut eam recitarem, juſſit. Legi, ac pronunciavi eam in magno coetu ſummorum virorum clara voce a capite ad calcem tanta Regis attentione, ut nec oculos unquam a me recitante dimoverit, nec ab aucupibus, qui apparere neſcio quas aves clamitabant, quamvis ejuſmodi re praeter modum delectetur, ut ſcis, diſtrahi potuerit. Admirabatur inter audiendum, quantum potui aliquando animadvertere, locos, quos ad gloriam optimos excogitaſti, & tuam illam tum rerum, tum verborum admirabilem copiam variis exornationibus quaſi luminibus diſtinctam. Poſtquam finem recitandi feci, laudavit eam mirum in modum, ac deferri in Bibliothecam juſſit, tibique gratias pro ea re agi. Omnes quoque, qui adfuere, ipſam mirifice laudaverunt. Nos quoque ipſi nonnihil adjecimus. Ut autem ſententiam noſtram

pau-

paucis agnoſcas, ſive in commendanda pace Italica, ſive in exhortando Rege in expeditionem adverſus Teucros ſuſcipiendam nihil omnino a te praetermiſſum putamus. Quod ſcire cupis, quid ſperem his de rebus; ego quidem Regem omnia facturum puto, quae poſſit adverſus hunc Chriſtiani generis pernicioſiſſimum hoſtem, & proſpere ceſſura omnia, ſi ceteri Principes, ac Reges Chriſtiani in id conſentiant potiſſimum nunc, quum Pontifex novus paratiſſimo animo in id bellum eſſe perhibeatur. Unum tamen vereor, ne ſero apparatus fiant, quoniam non niſi ſeri eſſe poſſunt. Quod autem ſcire expetis de rebus meis, ſcito decimum librum rerum a Rege geſtarum mihi nunc in manu eſſe, qui liber omnia continebit, quae uſque in hanc diem ab eo facta vel per Duces ſuos adminiſtrata ſunt, qui decimus liber huic operi modum imponit. Si ſuſcipietur bellum hoc contra Teucros, in aliud volumen ſeorſum conferetur, ne modum magnitudo voluminis excedat. A Rege vero mecum perliberaliter agi ſcito. Ab Antonio noſtro tui amantiſſimo ſalve, cui velim aliquid ſcribas. Sed vide, ne nomen ejus obliviſcare. Nam pro Antonio Joannem nominaſti, quod librarii errore factum ſcimus, cujus animus fortaſſe apud amicam erat. Vale ex Neapoli die XIIII. Aprilis 1455. Jannotio Manetto, ac Franco Sacchetto viris clariſſimis me commendato.

XIV.

Digitized by Google

XIV.

POGGIUS PL. SAL. D. BARTHOLOMAEO FACIO V. CL.

MAgnam pluribus de cauſis voluptatem percepi ex tuis ſuaviſſimis litteris, quibus reſpondes ad eam epiſtolam, quam una cum litteris Regiis ad te deſtinaram. Gratum mihi fuit, quamquam nullo modo id dubitaram, tuam erga me priſtinam benivolentiam recognoſcere. Inciderat enim tempus, ut intermiſſione litterarum etiam amicorum conjunctio remiſſior videretur. Nunc reintegrata priori benivolentia, quae tamen nunquam intermiſſa fuit, gaudeo datam eſſe nobis facultatem multis invicem litteris colloquendi. Gratiſſimum vero eſt & vobis placuiſſe epiſtolam meam, & a tanto Rege laudatam, quod mihi ſummo honori eſſe puto. Eſt enim, ut ſcis, apud Ciceronem noſtrum, eam veram exiſtimari laudem, quae a laudatis proficiſcitur viris. Recte autem, & amice feciſti, qui exſcribi epiſtolam curaveris, & ejus legendae onus ſuſceperis. Scio enim eloquentiorem multo illam ex tuo ore viſam, quam ſi alter legiſſet, de qua re tibi gratias ago, quas poſſum. Nam tua pronuntiatio rem ex ſe parvam reddidit audientibus ampliorem. Antonio noſtro Panormitae, & item Matthaeo Malferito viris praeſtantiſſimis verbis meis ſalutem dicito. Diligo eos tum propter eorum virtutem, & egregiam doctrinam, tum propter eorum erga me benivolentiam ſingularem. Scriberem ad te pluribus, & item litteras ad Panormitam darem, niſi cras rus eſſem profecturus, ubi

ubi paucos dies in viſitandis meis praediolis commorabor. Sum enim deditior ſenectutis gratia rei ruſticae, quam antea. Quum rediero, uberiores litteras ad vos ſcribam. Haec paucis dictavi, ne viderer tardior in reſpondendo, quam noſtra amicitia requirat. Vale, & me, ut ſoles, ama.

XV.

BARTHOLOMAEUS FACIUS AENEAE CARDINALI SENENSI S. P. D.

ET litteras meas, Reverendiſſime Pater, Dominationi tuae a Legato Senenſi redditas, & congratulationem meam tibi gratam extitiſſe laetor, teque exiſtimare magnae mihi voluptati fuiſſe dignitatis tuae aſcenſionem. Ego enim nullum meum in te officium ſine magna reprehenſione videor mihi poſſe praeterire. Tanta eſt enim tui erga me amoris magnitudo, ut quamvis maxima tibi optare, & amplitudini tuae ſervire debeam. Habere te multos exiſtimo, qui dignitati tuae faveant, quique te in ampliſſimo ſtatu cupiant. Sed certe non concedam, ut eorum quiſquam tibi aut vehementius affectus, aut honoris tui cupidior ſit. De quo plura ad te ſcribere vereor, ne dubitare videar animum in te meum Dominationi tuae non ſatis exploratum eſſe. Pollicitationes tuas mihi gratiſſimas fuiſſe ſcito, praeſertim quod eas ab optimo animo profectas ſcio, ac pro his Dominationi tuae gratias ago. Ubi opus fuerit, & opera tua libenter utar, & quid agi velim perſcribam. Expectamus Regem brevi ex Apulia Beneventum

jam

114

jam profectum. Ego ad urbem redii, quamvis de terraemotu nonnulla adhuc ſuſpicio ſit. Librum, quem *de Viris Illuſtribus* ſcripſi, Regi dedicavi, ac tradidi, in quo opere, ut aliquando videbis, ſi non quantum virtutum tuarum magnitudo poſtularet, at quantum ingenii mei parvitas potuit, quantumque res ipſa paſſa eſt, tibi a me tributum cognoſces. Si quid vero eſt, quod a me agi Dominatio tua cupiat, jube. Vale pater Reverendiſſime, & Domine mi praecipue. Ex Neapoli.

XVI.

AENEAS CARDINALIS SENENSIS BARTHOLOMAEO FACIO GENUENSI S. P. D.

JOcundiſſimae fuerunt nobis litterae tuae, quibus amicitiam inter nos Neapoli contractam ex tuo latere affirmas inconcuſſam, ſolidamque permanere. Idem tibi perſuadeas volumus ex noſtra parte fieri. Neque enim nos ſumus, qui more adoleſcentulorum nunc amemus, nunc odio habeamus. Non ſumus in contrahenda benevolentia faciles. At neque, poſtquam contracta eſt, illam leviter diſſolvimus. Dileximus te, poſtquam novimus quanti eſſes, neque decepti ſumus in eo, quod de te judicium fecimus. Itaque par eſſet amorem erga te noſtrum, dum vixerimus, duraturum, quando & tua virtus te minime relictura eſt. Quod ſcribis in eo, quem *de Viris Illuſtribus aevi noſtri* compoſuiſti, libro datum nobis eſſe locum, non meritis noſtris, ſed tuae caritati adſcribimus.

Digitized by Google

mus. Et in hoc quidem fatemur imbecillitatem noſtram. Non tam inviti ſupra meritum laudamur, quam vituperamur. Ita enim natura comparatum eſt, ut nulli laus oneroſa videatur. Nos eum librum, quum volueris, cupide videbimus, legemuſque. Nunc, quod tibi aliud ſcribamus, nihil ſe offert. Cupimus Antonium Panormitam, & Matthaeum Malferitum Juriſ-conſultum egregium, & ſi quando Candidum Oratorem praeſtabilem offenderis, noſtro nomine ſalvos dicas. Cariſſimum quoque fuerit, ſi quando Majeſtati Regiae nos commendaveris, quam prae ceteris noſtri ſaeculi Poteſtatibus & veneramur, & colimus. Ex Urbe Roma die XXV. Martii 1457.

FINIS.

Digitized by Google

R. SALVALEZZA
RESTAURO
Via Val Sassina, 68
Tel. 899 223

Digitized by Google